


JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII LUCENSIS

E SOCIETATE JESU

Sacræ Congregationis Rituum Consultoris

LYRICORUM

Libri Duo.

HYMNORUM

Liber Unus.

EPIGRAMMATUM

Libri Sex.

Quorum Quadringentis Argumenta tantùm Quatuor excoluntur.

CARMINUM TOMUS TERTIUS.



ROMÆ, MDCCXIII.

Typis, & Sumptibus Georgii Plachi.

Superiorum Permissu.

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM librum, cui titulus: *Tomus Carminum Tertius, in quo Lyricorum Libri Duo, Hymnorum Liber Unus, Epigrammatum Libri Sex &c.* a P. Joanne Laurentio Lucchesinio Societatis nostræ Sacerdote conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 12. Febr. 1713.

Michael Angelus Tamburinus.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apost.

N. Caracciolus Archiep. Capuæ Vicesg.

 Jussus

JUssus a Reverendissimo P. Gregorio Selleri Sac. Palatii Apostolici Magistro perlegere Tomum Tertium Carminum R. P. Joannis Laurentii Lucchesinii, cum compertum haberem deputatos fuisse ad illum expendendum a Reverendissimo P. Generali Societatis Jesu præstantissimos P.P. Joannem Baptistam Conti, & Ubertinum Carraram, nihil opportunius a me fieri posse putavi, quàm si eorum sententiam explorarem. Illam inveni adeo congruentem merito Authoris, ut eandem libentissimè subscripturus hìc utramque referre decreverim. Sic ergo inquît Primus.

Tertium Carminum Tomum, in quo Lyricorum Libri Duo, Hymnorum Liber Unus, Epigrammatum Libri Sex continentur, Auctore P. Joanne Laurentio Lucchesinio perlegi libentissimè, Auctoremque suum sui in omnibus persimilem inibi suspexi, videlicet Priscæ Latinitatis nitore, Sententiarum luminibus, Eruditionis copiâ, & æquabili in primis perspicuæ locutionis facilitate, cujusdam tamen temperamento di-

dignitatis, experrecta ſemper, modeſtèque ſemper ſublata, fœliciſſimum, atque adeo publica luce digniſſimum.

Alterius verò Approbatio eſt hujuſmodi:

Legi ſumma cum voluptate Tomum Carminum Tertium ſcriptum a P. Ioanne Laurentio Lucchesinio, Authore ſatis ſuperque ſpectati nominis tot in editis hactenus Voluminibus de rebus multò altioribus. Verùm quia præſens Opus amplectitur Lyricorum Libros Duos, Hymnorum Librum Unum, Epigrammatum Libros Sex, præter Styli nitorem, & elegantiam, miſcet hìc duorum Vatum principes dotes, in Odis, & Hymnis Horatii Sublimitatem, in Epigrammatis Aculeum Martialis. Proin Typis digniſſimum cenſeo, & profuturum vel maximè Rhetoricæ ſtudioſis, qui comparatis ſibi formulis elocutionis ſelectæ pariter, & acuminatæ, ad utrumqne diverſæ Poeſeos characterem poterunt eniti fœliciter.

Multò plura his adiicere poſſem, præſertim Extemporalis impetum ſpiritus, & in-

insignem Eloquentiam , qua in unum , idemque Argumentum Auctor Centena Epigrammata quater effudit . Sed ne singularem illius moderationem lædam , in alieno præconio conquiesco . Quare, cum adeo nihil in hoc Opere integerrimæ Fidei , probisque Moribus adversetur , ut Pietati potius fovendæ plurimùm idem conducat, dignissimum existimo, quod in publicum prodeat.

Theodorus Pangalus.



Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

LYRICORUM

LIBER PRIMUS.

Sanctè Operosa

Sanctissimi Domini Nostri

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

RUSTICATIO.

JAMBUS.



NERS fuisse fertur Heroum Quies,
Iners Deorum, dum Teraphnæa jacet
Pollux solutus gymnade: aut jussa hor-
Junonis executus Alcides latus (rida
Strato Leoni acclinat: aut post prælia
Mavors recūbit fessus in Rhodopes jugo:
Aut considere Gangis in ripa videt
Bacchum Indus: aut mirantur Æthiopes Jovem
Mensas suas revisere oblitum Ætheris.
Finxerit inertes Fabula Heroas, Deis
Ignaviam tribuerit: Augusto Patri,
Suas adegit gerere quem Vices Deus,
Operosa tantùm arridet, & magnis Quies

Addicta curis. Rura, cunctatus diu,
Adire tandem haud renuit; aliorum at Labor
Ejus Quieti cedat. Innumera exhibet
Exempla laudum, Prisca quæ haud Ætas tulit:
Et Secula evolvenda suspicient simul
Fluxisse in unum. Palladis Quinquatria
Celebrabat olim in Colle, quem prope assidet
Romæ Alba Mater, fraude Tartarea Titus
Delusus. At nunc Magnus huic colli insidens
Sapientiæ nova Sacra constituit Pater
Divinæ, ad Aras Ipse dum semper facit:
Inopum catervæ quolibet mensam die
Instruit: in illis Ipse famulatur Deo:
Alioque nutrit pabulo mentes legens
Sacra Ipse Monita. Suetus Eloquentià
Mirâ Leones, & Gregorios plausibus
Regum Senatus reddere perorans Throno
E Vaticano, prima dignatur rudes
Nunc edocere Arcana, quæ tradit Fides,
Puerisque septus quærere ex illis, utrum,
Oporteat quæ nosse, retineat memor
Vis animi. An Antiqua omnia licet consulas
Monumenta, Fastis paria reperies sacris
Fuisse consignata? Qui Pueros fovet
Pietate, Adultos deserat? Convivio
Recreare sancto hos destinat: per Oppida,
Urbesque spargit Nuntios, Cælestia
Ad Dona qui animos præparent, & prœmia
Qui spondeant, cum singulis Numismata
Sint eroganda, fœta thesauro, eluat
Pœnæ ut reatum quilibet secum ferat
Hanc tesseram execratus admissum scelus.
Immensa populi copia ad Dias Dapes
Confluxit, in queis ficta spectatur Ceres,
Salutis Ipse ast Author occultus latet.
Distribuit illum Millibus Sanctus Pater,

Vul-

Vultuque spirat, quem manu præfert, Deum.
Exultat Almus Pastor, ad Cælum suas
Eniti oves dum conspicit fausta die,
Qua Spiritus Divinus incendit fibras
Mortalium: hac luce agmina ferè Millium
Viginti ad astra precibus aspirant Tuo,
Pater Alme, munere. Innumera dum Cælitum
Mensam frequentat turba, cælesti ebrius
Nectare videris Ipse cum Superûm choro
Discumbere. A Latente, quem donat, Deo
Hebetare doctus lucis augustæ jubar
Alloquitur omnes blandus: in humiles casas,
Quas consecrat Religio, dignatur pedem
Inferre: sese indulget, ut Natis Pater:
Serena nec terrere Majestas potest
Voces precantum. Prævenit largus preces,
Quæ flagitare munera haud ausus pudor,
Ultro ingerit. Domesticum Sacrarium,
Ubi rusticata offerre Lojolæ cohors
Suevit Parenti Filium Æterno, jubet
Sortiri easdem, Templa quas dotes habent.
Quid reliqua memorem dona, quæ in nos congerit
Paternus animum prolis incendens amor?
Quid sparsa in alios? Singulas ditat, quibus
Immolat in Aris. Alba prægestit suum
Spectans recludi carcerem. Sponte hunc prius
Frequens subierat Debitor, namque omnia
Æris alieni nomina ex ærario
Solvenda Principis esse certa quilibet
Præsagiebat mente, nec spes irrita
Lactavit ullum. Major Albanos Patres,
Quos Rector Orbis ad oscula Sacrorum Pedum
Admisit, & sua vota jussit promere,
Spes hilarat. Urbi propria lex illi fuit,
Ut Prole destitutus haud ulli queat
Relinquere sua, ad Principem at spectent, bona.

Hanc

Hanc abrogandam, initum nisi pactum vetet
Utrique parti commodum, spondet pia
Parentis Optimi Indoles. Phœbus velut,
Quæcumque lustrat, luce perfundit loca,
Serenat animos omnium Sol Principum,
Quos intuetur, miro & Alloquio beat,
Dum rura, quæ consultor Ægeriæ Numa
Adibat, aut quod Virbius coluit nemus
Hippolytus, aut amœna Telegoni juga
Invisit: illum aut Crypta si quando allicit
Ferrata, Achæo & cultus ibi Ritu Deus
Studium exacuit amantis Argolicos Patris,
Mirificè & Atticâ inclyti Facundiâ:
Aut Arce non digressus, Albanum Lacum
Quæ spectat, inde dividit curas vigil
Terras per omnes, ut Quirinali super,
Aut Vaticano Monte si haud parcens sibi
A lucis ortu ad alterum solem loca
In cuncta mentem intenderet: & Animum velut
Obtundere valet nullus Æthereum labor,
Adamantinum sic Corporis robur foret.
Salvete colles, Itala queis Tempe insident,
In queis salubres Maximus somnos Pater
Incæpit iterum ducere, ac vires novas
Haurire: vobis debita est Mundi Salus,
Vestro fluit quæ fonte. Qui Herois vigor
In membra rediit, vota terrarum erigit.
Panacea sese prodit. Epidauri haud opus,
Aut Pergami herbas quærere: aut Cretæ latens
In gramine, aut quod pharmacum Amphrysi exhibet
Nemorosa vallis. Rura subjecta Algido
Reparantis annos Arboris laudem ferent.
Ne renue Rura hæc, Sancte Sacrorum Arbiter,
Identidem subire. Si nulla est Tuæ
Tibi Salutis cura, Mundo consule,
Cui Te præesse voluit Invitum Deus.

Dum

Dum Illuſtriſs., & Excellentiſs. Dominus

JOANNES MAUROCENUS

Eques, & D. Marci Procurator

Taurinenſi, Gallica, Germanica, Conſtantinopolitana Legatione perfunctus exoptanti Patriȩ redonatur,

DITHYRAMBUS.

NEc Fama ludit? Barbara Thracii
Tandem relinquit littora Boſphori,
Et Patriam lætus reviſit,
Quæ Adriacis dominatur undis,
Heros, Avorum gloria, Patriæ
Tutela, fulgor, prodigium, decus,
Quo ſoſpite exoptata cives
Gaudia, deliciaſque libant?
Quo viduata ſuo caruit Regina nitore,
Italiam Regina fovens, Berecynthia quamvis
Læta Deûm partu, centumque amplexa feraci
Reges illa ſinu. Reducem nunc læta ſalutat
Digreſſum toties, ut Patria vigil
Bono excubaret, conſuleret ſuæ
Ut cautus Urbi magnus Exul.
Nunc decet illuſtres tandem finire labores,
Quamque aliis peperit, jucundæ nectare pacis
Illum etiam poſt bella frui. Velut axe receptus
Alcides regnat poſt debellata per Orbem
Portenta, & haurit ore purpureo ebrius

Am-

Ambrosiam. At illum nobiles curæ manent
Prognatæ ab aliis. Horret Heroum indoles
Nomen quietis, inclytus quibus labor
Quies videtur. Mille perpetuæ obsident
Famæ viam discrimina, nec ante aurea
Subire Laudis templa mortali datur,
Quàm monstra mactet horrida.
Interea pelagum dum Maurocenus ovantem
Transmittit, Myrtoa Thetis, Cretensis & omnis
Nympharum chorus, Jonii, Ægæique profundi,
Adriacique Deæ sedent Neptunia regna:
Etesias, Zephyrosque parent strepitantibus alis
Obsequio pronos. Illius Numen & ipsæ
Sentiant undæ, tumidique Rector
Sentiat ponti. Ipsa etiam procella
Innocens olli sit, & hospitalis.
Improba nulla
Nam sunt vota, quibus fœlicia fœnerat astra
Patria Joanni, fuerit quo sospite sospes.
Ipsa suum Conchile Thetis, Delphinas Arion
Exhibeat. Vel si Navim dignatur, ab astris
Refixa veniat prima quæ domuit fretum,
Dædala pinus,
Cyaneas superare ruinas
Docta olim, Scythicique ponti
Minas superbas. Nomen inter sydera
Sortita quamvis, rursus infidi salis
Tentare fluctus ambiat,
Nam mille in Uno Heroas excipiet sinu.
Hic Patriæ Typhis, clavum qui temperat urbis:
Hic Ledæ soboles, blando qui lumine fluctus
Mitigat irarum. Clavâ hic munitus, & igne
Monstrorum Alcides domitor, queis noxia tellus
Obsessa: Eloquio hic Regum vel barbara sacro
Corda Orpheus rapiens: velut olim carmine phocas
Threiicius traxit, sylvas, & marmora, Vates.

Unus

Unus aſt omnes quoniam Argonautas
Laudibus vincit, viden, ut volantis
Rurſus admirans iter æſtuoſum
Puppis ab undis
Nereidum chorus exiliat, quem dicitur Argo
Rapuiſſe quondam. Rurſus ætheream ratem
Nymphæ ambiunt, algâque Tritones latus
Præcincti, & humeros: ipſe Portunus volat,
Nec Charites abſunt. Muſis comitatus Apollo,
Dum ſacra præclaro pinus ſeſſore ſuperba
Argiva radit littora,
Proxima Bœotiæ culmina deſtituit:
Ipſa etiam in pelagum Caſtalis unda fluit.
Sed tua Tritonum poſtquam tuba nomina ad aſtra,
Maurocene, tulit, certatim carmine Nymphæ
Hoſpiti plaudunt, Chariteſque magno.
Audio? Alpinis, ait Amphitrite,
Quæ jugis Doris fluit, & ſecantes
Sequanæ, & Iſtri,
Flumina Nymphæ
Oceano patri narrant, quo Regia plauſu
Alpina, & dives quo Gallia, Cæſaris aula
Quo tibi aſſultet. Neque te ſilere
Norunt ſorores, ſæva Propontidos
Quæ ſæpe viſunt littora.
Adriacum per te nomen, per te inclyta fama
Crevit, & Italiæ majeſtas fulſit in orbe
Odryſio. Te ſolicitus miratur & hoſtis
Diſſimulans fruſtra. Quoties te Thracia mater
Italiæ invidit, quoties te Thracia natis
Oſtendit nurus! Egregias quaſcumque per aulas
Circumfers regnandi artes, obnoxia Regum
Corda rapis. Seu ſanguineam ſi concutit haſtam
Bellona, aut Aſtræa fugat ſi nobilis arma,
Pacis ades, ſacer & fugandi
Arbiter belli. Tua dum volentes

Vox

Vox rapit Reges, & amata nectunt
Cordibus vincla ambrosio fluentes
Ore catenæ,
Sensere, ut Regnum in Reges parit aurea virtus.
Laurea tota tua est, animos qua vincis. In armis
Laudis coronam milites pariunt Duci.
Pennis ipse tuis inniteris. Inclyta Patrum
Nec te superbum gloria
Inserit astris,
Quamvis eximio ducas de sanguine nomen,
Olim Duces qui tribuit, & Patriæ Patres,
Reginas Regum thalamis, primosque Latini
Pastores Ritus Urbi, quæ præsidet undis
Hellespontiacis: ceu nuper Patria magnum
Suspexit Patruum, quo non præstantior alter
Ducere ad astra gregem, cælesti spargere rore,
Auro rigare. Sileat haud unquam Tybris
Purpureos Patres, queis Maurocena decorum
Infixit calcar Virtus, ut culmina laudis
Attingerent, quò rara pes vestigia
Mortalis urget. Ipse Avis illustrior
Hauris, & auges gloriam
Laudis avitæ.

In

In Funere Illlustrissimi Viri

FRANCISCI MARCHIONIS VILLÆ

In Regno Cretensi Pontificii Exercitus Instructoris, quod contigit Anno 1668.

ODE PINDARICA.

TRoja Fortunæ domitrix protervæ,
Troja Virtutum domus, & virorum
Fortium Mater, decimum Pelasgos
Fregit in annum.
Ilium dives stetit, atque celsa
Risit e turri Priamus Mycenas
Frustra inundantes, suaque arva pasta
Sanguine Grajo.
Principum frustra, populusque Regum
Fluxit, & centum riguere fertis
Cassides Græcæ, dominata centum
Sceptraque castris.
Frustra in immensam metuendus hastam
Filius crevit Thetidis marinæ,
Donec, heu, circùm rapuit cruentos
Hectora muros.
Pergama insultant furiis Achillis,
Patriæ donec clypeus gementis
Hector excessit. Fugitiva magni
Hectoris umbra
Dardanas sortes rapuit sub Orcum:
Quotque sint raptæ, patuit, Phalanges
Hectore in forti. Timidæ superbus
Munere Matris

Arva

Arva Pelides secat, & cruentam
Imprimit muris violentus hastam.
Troja fatalem domat at cupressum,
Armaque Divûm.
Semivir Dextram perimit Pelasgûm:
Ictus en telo Paridis momordit
Ore tellurem Phrygio mucroni
Impervius Heros.
Hausit en frustra stygiam paludem!
Provida o frustra genitrix! perempto
Hectore en rursus metuenda Troja!
Græcia fracta!
Classis en solvit Tenedo, & jocosi
Sibilis Nerei celebrata, Reges
Currit ut centum referat Mycenas,
Signaque mille.
Classis at portu lateat; procaces
Ora Nympharum jugulent cachinnos:
Classis eversæ spolia ampla Trojæ
Afferet Argos.
Hectore extincto lachrymosa fatis
Troja mutatis ruet; aut aperto
Marte, seu cœca labefacta clade
Troja peribit.
Quam nec Atridæ domuere fratres,
Nec genus Divûm, populusque Regum,
Nec gelu fregit decimum, dolosus
Vicit Ulysses.
Vicit insigni fabricatus arte
Palladi munus, Phrygibusque Enipeus,
Et Sinon fregit per adusta currens
Pergama victor.
Fregit & centum gravidus Tyrannis
Quadrupes, victor sonipes Gigantum.
Talis haud unquam Enceladus minaci
Arsit in Ossa.

Re-

Regna ſubvertit dolus, & ſagacis
Fraudis inventor. Quis in hoſte, virtus,
An dolus vincat Danaûm, requiret?
Vincere pulchrum,
Aut dolus vincat, vigor aut apertus.
Dexteræ hæc palma eſt, ea palma mentis.
Præſtat hic ergo reliquis triumphus,
Inquit Ulyſſes.
Creta, te virtus rediviva Trojæ
Bellicis flammis animat: renati
Mille te circùm furibunda flagrant
Pectora Achillis.
Unus & centum Ducibus Tyrannus
Prævalet Thracum: levis eſt tuorum
Hoſtium appendix inimica Trojæ
Græcia tota.
Nec decem tantùm vigilavit annos
Sub tuis muris Oriens: corona
Hoſtium ex quo inſtat tibi, quinque currunt
Horrida luſtra.
Huic ſuus Trojæ fuit alter Hector;
Aſpera aſt illum rapuere nuper
Fata. Franciſcum Hectoreo flagrantem
Robore ſenſit
Creta defenſa. Ut generoſa Patrum
Hectorem virtus ſtimulavit, atque
Regius ſanguis: tibi militaris
Frondis honorem,
Villa, clarorum tribuit Parentum
Indoles magna, & generis vetuſti
Splendor, atque aſſueta agitare Martis
Dextera ſceptrum.
Quem latent veſtræ monumenta laudis?
Littore in quo non rutilant trophæa?
Quodque non vidit nemus irrigatas
Sanguine lauros?

Ire per fastos trepidant Camœnæ,
Queis iter centum labyrinthus arctat
Obsitus Palmis. Nequit at sileri
Dextra Ghironis,
Quem Jovem sensit, simul & Gradivum
Creta custodem; at metuit Tonantem
Thracia ultorem: trepidavit alto ex
Æthere Luna:
Gnossia & circum maris obstrepentis
Littora admirans trepidavit unda,
Ille quam turpi docuit rubere
Sanguine Thracum,
Ad suum postquam properasse vidit
Littus Alcidæ geminas Columnas.
Omnibus metam statuit triumphis
Inclytus Heros;
Hercules illas licet imperarit
Stare, quà scindit brevis unda ab Afro
Littore Europen. Aget at perenni
Fama volatu
Te quoque a magno Patruele, Martis
Docte vim, Francisce, timentis Umbo
Cretici Regni, citò rapte, fortis
Hectoris instar.
Ergo te Crete ruet occidente?
Quin tuo a fato trahet usque vires:
Hectori hoc tantùm absimilis videris,
Cætera compar.
Namque de celsa Superûm superbos
Fulmina in Thraces jacularis arce:
Qualis ardentis pharetrata quondam
Dextera Phœbi
Torsit in Grajos celeres sagittas.
Æthere ex alto stygias phalangas,
Villa, sic vexas, meritumque Thraces
Trudis ad Orcum:

Mar-

Martis & ſacri ſtudium laceſſis
Æmulis flammis acuens decorum
Pectus Heroum. Rhodani ecce potor
Flagrat in armis,
Bellico ſuetus glaciemque Rheni
Solvere afflatu, Tyberiſque flavi
Incola: Europam ſtimulavit omnem
Bellicus ardor:
Copias Clemente, ſuoſque Divos,
Fœdere & ſecum ſociata Regum
Arma præbente, obſidione Thracum
Creta ſoluta,
Urbibus centum redimita, frontem
Inferet cælo: malè pertinaces
Hoſtium, ſi quæ ſuperent, favillas
Æquora mergent.

HOMINUM FOELICITAS

A Deiparæ cum Divinò Spiritu Sponſalibus exoritura.

O D E.

TAndem frementis cornua Tartari
Infregit audax Terrigenûm manus,
Servire detrectans Tyranno,
Et ſtygiis dare colla loris.
Megæra tandem fletibus innatat,
Luctuque delet belligeras faces,
Sævit colubris Pluto inertis
In furiæ latus, & morantes

Urget chelydros, bella quòd impia
Cessant, nec hastas in superos vibrat
Mortalis; instantem ruinam
Tristi Acheron lachrymatur unda:
Immugit Orcus. Sed facili redux
Pax alma terras lumine recreat:
Injussa crescit messis, undis
Nectareis tumuere ripæ.
Gaudent morantis nubila fulminis
Frænare cursum: provocat ignea
Nec tela tellus, & Gigantum
Fata, suæ ambitiosa cladis.
Quin astra gemmis prodiga grandinant,
Imberque venâ provenit aureâ:
Astræa jam depulsa Pacis
It lateri comes imperantis.
Irrupta Sponsi copula Flaminis
Dum te, Virago, consecrat ætheri,
Nivesque candoris pudica
Flamma fovet, tua dos, Olympo
Hæc dona largo flumine concidunt.
Telluris hospes dum latitat Deus,
Hærere nescit laus in astris,
Et Charitum chorus obsequentum.
Mundi juventus prima renascitur,
Diffingit aurum degeneres notas
Secli labantis, jamque culpa
Insipiens populata pectus,
Ruit sub orcum. Non hominum genus
Pirata mentis fraus mala fascinat.
Florescit immutata morum
Temperies, niveoque fulget
In ore veri candor amabilis:
Solem refusum moribus allinit
Divina Solis lux propinqui:
Dumque hominum Deus ambit umbras,

Fra-

Fraterna gestit nomina prosequi
Adæ propago moribus æmula:
Nos miscet astris, vix minores
Diis, sua dum premit ora Numen.
Ergo solutam fulmine dexteram
Cernes Tonantis? Virginis in sinu
Spectabis hærentem Puellum,
Oscula dum petit, & liquatum
Cor fugit, urgens brachiolis caput
Caræ parentis? Luminibus bibes
Portenta, Mortalis, gementis
Abrahæ ad invidiam beatus?
Ridentis ergo purpureas genas
Libasse Regis, grataque suavia
Admosse labris, & flagrantem,
Qua liqueas, rapere inde flammam?
Sed tu beatis ebria sensibus,
Haustique dives munere Numinis,
Miranda Cælo Virgo, blandam
Invidiam Superûm lacessis.
Hæc imminentis fatidico Aliger
Complexus ævi fatum animo canit,
Incerta dum pendes, decoram
Et dubitas tolerare sortem.
Telluris exple, & Cælicolum preces:
Fatique dulcis splendida munera
Ne temne, dum Natura Vitam
Filiæ ab ingenio moratur.



PASTOR PROPHETA

De gente Amos

BEATISS.^{MÆ} VIRGINI

Per Judææ Montes iter habenti prænuntiat Divina Munera ab illius hospitio in D. Joannem Baptistam, & Parentes derivanda.

ODE.

AMoris alis dum volat aureis
Regina Divûm per juga montium
Visura fœcundæ penates
Elisabeth, Ovium Magister
Afflatus æstro fatidico videt
Dignata Sylvas visere Numina,
Deoque commotus recepto
Hæc animo canit æstuanti.
I, magna Virgo, grande Parentibus,
Et grande Nato præsidium ferens;
Te Pax, & illibata mentis
Gaudia, te Charites Elysæ
Sub tecta ducent. Quanta moves tuo
Congressu amicis hospitibus bona!
Non dives æquè Phœbus intrat
Syderei hospitium Leonis.

Dilecte cælo Pupule, carceris
Maternus horror non tibi lumina
Subduxit exoptata Solis:
Unio ceu radios Eoos
Conchę parentis ſub gremio bibit.
Quę flamma venis hauſta, quis inſidens
Victor medullis regnat ardor!
Vulnificas amor ut ſagittas
Excuſſit arcû! Diffugit illico
Fatale Patrum crimen, & invidæ,
Suiſque devinctæ catenis
Præcipitant Furiæ ſub Orcum.
Io, triunphe: cornua tartaro
Decuſſit Infans, Auſpiciis tuis,
Intacta Patrum Virgo labe,
Qua ſobolem paritura Mater
Necat ſub alvô. Pupulus intulit
Per te Draconì Tartareo metum.
Dum fata diffingi maligna
Senſit iners, trepidavit omni
Cocitus undâ. Fronde quis integit
Victrice cunas, quis properat ſacras
Palmas Idumes? Victor Orbem
Ingrederis, radioſque primos
Plauſu ſalutas. Nectaris imbuent
Liquente ſucco quæ Charites tibi
Finxere nomen. Te Virago
Sydereo gremio fovebit,
Totumque fibris inſeret æthera.
Ut inde Virtus pectora roborat!
Regina quid præſens amico
Numine, & innocuis adultus
Flos primus ævi ſub laribus poteſt!
Spectatis? Acta vix trieteride
Urget per obſtantes propinquos
Pulchrum abitum generoſus infans.

Virete Sylvæ: vos beat incola,
    Quo non Eous currus Apollinis,
    Cadensve majorem quadriga
    Vidit. Amos cineres triumphant:
Frondosa Vates tecta iterum petunt.
    En unda vitro purior aridis
    Vix lacte depulsis labellis
    Sufficit ambitiosa potum.
Si quando parcæ torquet amor dapis,
    Errare rivos nectaris aspicit:
    Reducta in aurum secla, truncis
    Lapsa cavis trepidare mella.
Qua fessa ponit membra sub arbore,
    Injussa tellus vere tegit sinum:
    Lauroque, collatisque palmis
    Depositum studiosa cælat.
Sic crescet inter prodigia igneus
    Defensor Agni Syderei Leo.
    Hunc primus ostendit virorum:
    Et populum, viden, ut rebellem
Voce eloquutus fulminea petit!
    Turbam influentem vix nemus excipit,
    Quæ dextram adorat fulminantis.
    Magnanimam, Superi, repulsam
Audite. Regi non ego solvere
    Dignus cothurnos: sacrilegos procul
    Auferte cultus, & latenti
    Sceptra Deo properate, cives.
Vox ipse Verbi, quo Pater omnia
    Loquutus olim: Vox faciles Deo
    Parare calles jussa: cives,
    Innocuos iterate cursus.
Corde execrati mergite crimina
    Jordanis undis: mox aderit Deus,
    Fœliciori qui scelestos
    Fonte lavet, liquidoque cælo.

In

In Antrum Bethlemium.

ODE.

O Rupes, domibus pulchrior aureis,
Ortu digna Dei, cui radiantibus
Lapſo ex Ætheris oris
Curvas hiſpida brachia.
Quàm formoſa nites, dum Superûm tuo
Præbes hoſpitium ſub lare Principi,
Et forti viduatam
Cernis fulmine dexteram!
Quàm formoſa nites, Virginis ad ſinum
Dum ſpectas avidum tendere Pupulum,
Qui fragrantia Matris
Frontem torquet ad oſcula!
Non illum rapido ſtringeret æquore
Neptunus, patulo nec caperet ſinu,
Quæ porrecta per Orbem
Tellus Oceano incubat:
Non illum Boreæ Regna capacia
Urgerent liquidi finibus aeris,
Quem tu lenè ſuperba
Gyro contrahis in brevi.
Te preſſi tenebris nuntia Numinis
Cæli lingua loquax ſtella ſuperſtitit:
Auroræque Dynaſtæ
Te corde, & genibus colunt.
Cingent nobilibus te quoque frondibus
Paſtores ovium: plurima populus,
Undantiſque hederæ vis
Sertis impedient latus.

De

De te mellifluo flumina nectare
Manabunt: posito frigore marmora
Innatumque rigorem
Linquent, ac teneram aureo
Discent mollitiem a Numine marmora.
Dumque imber lacrymis deciduus genas
Perfundet, cava saxa
Pupi fletibus aggement.

D. LAURENTII

Mirifica Indoles, & in Pœnis Constantia.

ODE.

UT stirpis ardor nobilis alitum
Regem paterno distrahit a sinu,
Rapitque Solis quà propinquam
Lucem oculo bibat irretorto:
Nunc in Dracones suscitat æmulum
Cupido belli: sic trahit ignea
Laurentium virtus ab Orbe
Nobile in exilium volantem.
Ad regna lucis tollitur aurea,
Divûmque sedes. Ut volat impiger,
Ut audet iratam Tonantis
Fulminibus viduare dextram!
Nunc æstuanti percitus impetu
Turbam Deorum vexat inanium,
Ridetque, si, quos Roma fecit,
Thura Diis adolere gaudet.

Ro-

Romana pubes vidit amabilis
Contempta vitæ munera, dum breve
Ver ducit ætas, dum decoro
Flore animos hilarat juventus.
Heroa vidit fortis Iberiæ
Iras Tyranni ſpernere ludicras,
Fatique damnare imminentis
Segnitiem. Didicit paternum
In prole robur vivere ſuppari.
Ætas avorum cerea moribus
Formatur, & cum lacte ſugit
Ingenium genitricis infans.
Sancta creatus dicitur arbore
Iberus Heros. Dicitur inclyta
Creviſſe virtus innocenti
Sub lare; ſed juvenile Xiſtus
Firmavit ævum. Deficit indoles
Innata, recti ſi ſtudium cadit,
Nec prima robuſtis adulta
Conſiliis ſtabilitur ætas.
Hoc Rege doctam non ſtygis agmina
Flexere mentem, non hominum furor,
Illi nec abrupere ſomnum
Suppoſitæ thalamo favillæ.
Non ſic malignus ſauciat Africus
Prenſam carinam fluctibus Adriæ,
Cum regna Nerei turbo vexat,
Et ſonitu tremuere ripæ:
Ut pulchra tortor corpora ferreus
Sulcat flagellis, ut ſpoliat decus
Immiſſa tempeſtas ab Orco
In Juvenis caput immerentis.
Exeſa rupes attamen Æoli
Ut frangit iras Carpathio in mari,
Deriſit ardores Tyranni
Fortis Iber, voluitque lethum.

Vin-

Vinci dolentem te, Valeri, furor
Comprendit audax: Siccine Cæſaris,
Divûmque decrevere, dicis,
Imperia, ut Juveni protervo
Cedant inulti? Culmina Jupiter
Fruſtra vibratis fulminibus quatit,
Si parcit imbellis juventæ
Perfidiæ. Tua tela poſcit,
O Rex Olympi, Cerbereum caput.
Noſtra ira friget; corde adamantino
Gens quippe ridet mortis artes,
Et medio juveneſcit igne.
Jurata Regem namque ſequi trabi
Fixum nefaſtæ, ſupplicium probat,
Luditque, ſi pœnas minemur,
Quas amat. Ipſa ſuas requirit
Natura leges, nec tamen invenit.
Non talis uſto corpore in Herculem
Succrevit Hydra, ut perduellis
Vulnere gens reparat vigorem.
Nec priſca ſector: mille novi vias
Procudo lethi; ſufficit ingenj
Vires Erynnis; ſed ſuperbos
Funera progenerant triumphos.
Permitto Divis cætera. Vincimur,
Sed victa cedit vis quoque Numinum.
Urgemur, at nobis maligna
Fata Jovem, Superoſque tangunt.



DE

DE B. ALOYSIO GONZAGA,

Dum nascebatur, Sacris Baptismi aquis lustrato.

DITHYRAMBUS.

Dilecte Cælo, non tibi carceris
Maternus horror lumina amabilis
Subduxit exoptata Solis.
Unio ceu radios Eoos
Conchæ parentis de gremio bibit.
Quæ flamma venis hausta! quis intimis
Victor medullis regnat ardor!
Vulnificas amor ut sagittas
Excussit arcu! Cornua Tartaro
Decussit infans sydereus. Sua
Dum fata diffingi maligna
Sensit iners, trepidavit atrâ
Cocitus undâ. Fronde quis integit
Victrice cunas? Quis properat sacras
Palmas Idumes? Victor Orbem
Ingrederis, radiosque primos
Plausu salutas. Nectaris imbuet
Succo, liquenti te Charis æthere.
Lucina Divorum, Virago
Sydereo gremio fovebit,
Totumque fibris inseret æthera.
Ut inde virtus pectora roborat!
Urget per obstantes propinquos
Pulchrum abitum generosus exul.
Fugitivas, Aloysi, fuge pompas,
Fuge pulchra latitantem cute pestem,
Fuge syrtes, fuge fluxum perituræ decus aulæ.

Age

Age cursum : per apertum quate pennas,
    Pete velox Tyberinæ juga ripæ,
    Ubi colles minitantur caput altum inserere astris.
Opulentas tibi gazas, & honores,
    Tibi Regnum, allicientisque Charybdis
    Studium aufert, Aloysi, radiantis jubar Æthræ.
Illi ut perpetuò volvitur aureus
    Pura luce dies, qui volat alitis
    Mentis remigio ad Sydera, & ubera
    Sugit gaudia Cælitum!
Ille haud æthereæ oblitus originis,
    Qui nil mente sitit, nil bibit ebria,
    Quàm quæ nectareo gaudia vulnere
    Christi suppeditat latus.
Quò te Divus amor proripiet sui
    Plenum? quàm gravidum pectus agit Deus?
    Quis pennas humeris Dædalus addidit?
    Ut pondus tibi corporis
Excussisse juvat! Quis neget incolam
    Astrorum, innocuos condere quem dies
    Spectas, æthereos volvere pectore
    Motus, atque animi impetus
Omnes arbitrio flectere Numinis?
    Quem cernis latebris usque silentibus
    Divini radios quærere Apollinis,
    Atque haurire animi fibris?



B. ALOY-

B. ALOYSII GONZAGÆ OCULI.

ODE.

O flammis oculi sydereis pares,
Fulgentes niveæ frontis in æthere,
Dulci non sine risu
Lucem panditis auream.
Vos puram placido lumine cordibus
Inspirare diem, vos Paphium nefas,
Irarumque procellas,
Et nigras Erebi faces
Discussisse, canam: Vos adamantina
Vallant claustra, Cypris si ferit obvia
Obtutum, aut puer Ales
Vultu lubricus aspici.
Vos flagrantis iners aura Cupidinis
Nescit tangere: vos pompa Quiritium,
Et pictis vagus armis
Martis terror amabilis
Frustra proposito flectere credidit,
Aversosque nova fallere imagine;
Nam virtutis avarus
Terræ deposuit puer.
Non sic Hinnuleum territat Africus,
Cum leni strepitu turbat arundines.
Non sic agna leonem
Vitat, vel rabidum lupum,
Non sic Enceladus Gorgoneum caput:
Ut Gonzaga timet cernere disparis
Quos discrimina sexus
Molles dissociant choros.

Quis

Quis credat? Genitrix non valuit pium
Inflexiſſe animum, quæ nimis aſperum
His aggreſſa pudorem
Blanda ſolicitat prece.
Laudo propoſitum, Nate: Cytheridis
Ne vultum facili lumine videris,
Nam, quæ pectora turpant,
Delibare oculis, nefas.
Atqui non ego te, Cypris ut impotens,
Falſis difficilem nectere perſequor
Verbis, non ego diram
Vultu Gorgona præfero.
Non oſtrum roſeis purpurat in genis:
Jam turpis macies occupat aridam
Frontem, nec lepor ignes
Malis nutrit eburneis.
Quid Matrem viduas lumine proſpero,
Fili? Num ſcelus eſt fœmineum genus?
At culpare Tonantem
Plus juſto tumidus, cave.
Qui de quadrifida ſanguineos trabe
Demiſiſſe oculos fertur, & auream
Compellaſſe Parentem,
Et Matris lachrymas ſuis
Penè auxiſſe pius. Quæ pietas facit
Inviſam Genitricem? Heu nova ferreo
Ponis jura pudori,
O quondam puer aureus.
Matri redde diem, Nate: quid invidum
Luſtras uſque ſolum? Num tibi mitior
Tellus viſa Parente?
Num tellus Genitrix fuit?
Ah, te ſi caream, Nate, quid immoror
Inviſam hanc animam linquere? Munera,
Quæ deſpero ſuperſtes,
Collapſa in cineres feram.

Emi-

Eminentissimus

CARDINALIS GEORIUS

In pulcherrimum a se fabricatum Sacellum D. Severini Ossa transferri jubet.

O D E.

QUÆ ducta cælo sacra Colonia
Visum beavit? Quæ Domus æmula
Solis superbam vincit aulam,
Et Superos petit inquilinos?
Terræ gementis viscera nobili
Vexare ferro, & marmora Hymettiis
Æquanda: thesauros avari
Eruere e pelagi latebris,
Septempedanos mirus amor docet,
Ut surgat augustum hospitium ætheris,
In quo Severini sepulchro
Magnanimos cineres recondant.
Hæc ambientes sponte volaverint
Ad tecta Divi: huc, auguror, agmina
Beata certatim, & decoræ
Aligerûm properent phalanges.
Huc ipse, sudat cui labor, inclyta
Cui surgit Ædes, huc Populi Pater
Accedet, & gratum benignus
Fronte hilari hospitium subibit.
Cessent ministri, queis humeros onus
Fortunat optatum, aereum celer
Sulcabit, ut delata pennis
Machina iter, cineresque sacros

Condet Sacello. Ceu Totilæ impius
Septempedæ olim cum incubuit furor,
Urbemque fumantem Gradivus
Stravit humi, fugitiva nidos
Post dira Martis fulmina patrios
Cohors revisit; folicitus locum
Consultor exquirit, renatæ
Quo Patriæ reparata tecta
Ad astra surgant. Ilicit aureo
Imposita curru, nullius indiga
Ducis, Severini locantur
Corpora, & arbitrio volantum
Relicta equorum rheda viam vorat:
Demittit altum Sylva caput, gelu
Duratur in gemmas, per arua
Scena viret properata veris,
Quà rheda transit, dum nivibus graves
Sylvæ laborant, dum riget horrida
Tellus, & errantes cohercet
Vis hyemis furibunda rivos.
At quà recurrens unda Potentiæ
Brumæ morantis fræna pati negat,
Ut Currus hæsit, obsequentes
Attonitum tenuere cursum
Fluctus, & altum lympha reciproca
Curvavit arcum: præterit invidi
En Regna Neptuni quadriga
Colle nigro positura Divum,



Ger-

Germanæ Mulieres suos in Expeditionem Hierosolymitanam prosequuntur.

ODE.

NEC dum subactos Thracas ahenei
Vinxere nodi, nec Capitolium
Vidit catenatos tumore
Deposito cecidisse Turcas?
Nec Luna pallet? Bustaque Numinis
Exempta nondum Threiciis gemunt?
Perduntur iræ: decolores
Eridani timuere fluctus:
Superbit Hebrus: Christiadum in latus
Mucro rotatur, machina subruit
Turres amicas: Othomannus,
Incolumi Babylone, regnat.
Proh crimen ævi! Turpis inertia
Non sic avorum pectora fregerat,
Nec nostra raro Turca vidit
Signa Syris volitare campis.
Germana virtus, implicuit tuas
Palmis Idume nobilibus comas,
Lectam cohortem Fœminarum
Cum Solymæ timuere cives.
Natura leges erubuit suas
Cessisse Marti, cum premeret gravis
Crines recisos cassis, umbo
Cum Gothicas tegeret Camillas.
Auditis? An me ludit amabilis
Imago belli? Jam ferit æthera
Clamor superbus, jam pudendo
Murmure congemuere Thraces;

Jordanis undas nam prope nobiles
Instructus ardor Christiadum rotat
Mortem volantem, atque indecoro
Auget aquas fluvii cruore.
Tormenta crebro fulmine mugiunt
In expaventum vulnera Bistonum,
Ducesque, & æratas phalanges
Fulmineo implicuere nimbo.
Armata Pallas Gorgone Fœminas
Præit feroces, & Sociis favens
Bellona curru invecta, duro
Odrysios agitat flagello.
Non sic superbas Xanthus Amazonas
Miratus undis attonitis stetit:
Ut unda Jordanis cruentos
Teutoniæ trepidavit enses:
Confossa telis ut muliebribus
Iter negarunt corpora fluctibus:
Frænavit haud sic arrogantem
Penthesilea furens Orontem.

In Funere præclarissimæ Heroinæ
FULVIÆ CYBO
Massæ, & Carrariæ Ducis.

ODE.

O Quæ metallo, Fulvia, principe,
Aut clariori a Cæsare syderum
Illustre nomen, quæque magnis
Grande genus Proavis trahebas,

Ex-

Extincta palles! Eumenidum soror
Mors, quæ superborum improba funerum
Fames adegit, falce dignam
Nestoris ut meteres senectâ?
Heu perduellem non Equitum phalanx
Mortem cohercet: copia divitis
Non frænat auri, non potentis
Imperii decus, aut decoræ
Formosa frontis sydera dimovent.
Quis hìc cupressus luctificum prope
Rogum inserit? Quis decolori
Spargit humum viola, Camœnæ?
Apollo, mœsto tibia lugubris,
Plectrumque rauco nunc ululet sono:
Novemque terram verrat atro
Syrmate mœsta cohors Sororum.
At quò doloris me rapit impetus?
Cur invidendam fletibus urgeo?
Lugere nec fas, quæ superbos
Funera progenerant triumphos.
Quò celsa dudum vota superstitis
Prægestiebant, mors iter explicat:
Dum temnit Orbem aspirat astris,
Et volucres lachrymatur alas
Hæsisse fati: mox ubi pallido
Mors blanda vultu fletibus annuit,
Gestivit, ut nudata vinclis
Gaudet avis volitare cælo.
Atque hìc perennis te pariter rogo
Fama excitabit. Spargere ad ultimas
En illa terras nomen ambit
Magnanimum: quatit ecce pennas.
Post e volatu sydereo redux
E marmore ambit Templa Lygustico
Tibi sacrare: aurita cerno
Marmora sponte sequi canentem.

Decedit illis Tænareus lapis,
Vena & Carysti, nec Phrygium potest
Certare marmor, nec, fodinæ
Quæ Numidûm tribuere, saxa.

In eodem Funere.

ODE.

FUlvia, illustris generosa stirpis
Gloria, augustum, rutilumque nomen,
Vita dum luxit, spolias amato
Lumine terras?
Sol tuis quondam fueras, sed atræ
Hesperus noctis face decolori
Corda nunc torques. Rutilante cujus
Fulgur honorum
Vertice in summo radiabat olim:
Blanda majestas, rapiens amorem
Fulgor ut casti radiis nitoris
Pinxerat ora!
Pulchrior mentis color at serenæ
Fulsit: Æterni ab radio Parentis
Duxit exemplum genialis ardens
Luce nitoris.
Numinis quantum tulit a beato
Fonte! Ut illimes oculi loquuti!
Corda qui incendit, Deus ut sereno
Fulsit in ore!
Auspicem te Justitiæ, innocentis
Præsidem faustam meriti coronant,
Supplici & questu tumulum clientes
Floribus ornant.

Cer-

Cernis in quantos lachrymosa luctus
Ora solvantur! Viden, ut sepulchro
Invident! Dicunt: Tibi Cordis urna
Aptior esset.
Te piis urgent lachrymis ademptam
Subditæ gentes; hilari sed ipsa
Lumine instantis truculenta fati
Ora tueris.
Ut quies omnes animi procellas
Ponit! Ut vastæ penetrale mentis
Alma pax mulcet! Viden, ut vocanti
Visaque Olympo
Obviam ferri properante penna!
Interim sacrum, quod ab Axe manat,
Nectar hinc hausit, magis ut sitiret
Ebria cælum.

Ad præstantem eximio Ingenio, & Facundia

P. MAGISTRUM LEPORI

Ordinis Prædicatorum,

Deinde Salutiarum Antistitem.


O D E.

REgnata quondam Templa iterum petit
Forsan Minerva? An Thracius aureis
Orpheus catenis corda nectit,
Quem decorant Charis, & Lepores?
Quem rore puro Castalius liquor
Sparsit tenellum, cui dedit ubera
Blandita Suada, inque ore nidum
Virgineæ volucres locarunt.

Huic docta gazas Flora suas dedit:
Huic ver Hymetti prodiga munera:
Nunc, floribus fœcunda, campos
Ille tuos populatur, Hybla.
At corda pascens nectare melleo
Exosum amaro felle petit nefas.
Nectit catenas; at beatis
Oscula dividimus catenis.
Quæ blandienti buccina personat
Clangore Romam, terribili tonat
Ira in scelestos, nulla quamvis
Nubila pervolitent sub axe.
Tonat, serenis dum micat ignibus
Illustre Cælum: fulminat impios,
Dum sermo, ceu ridens Olympus,
Syderibus micat eruditis.
Trisulca vexent tela superbiam,
Vexent reluctantum agmina criminum:
Securus idem tela spargis
Nil odii trepidans venenum.
Blandiris ipso fulmine, & ignea
Quæ tela torques, nectare proluis.
Te, vel tonantem, Roma adorans
Fulmineæ pia tela dextræ
Sitit, beato vulnere saucia.
Mirare quicumque eloquium excolis
Floræ efficacis vim potentem
Fulminibus Periclis Platonis
Miscere nectar. De tumulo invidam
Attolle frontem, Templaque Palladi
Olim dicata, irate Tulli,
Attonitis oculis tuere:
Nec te sonantem largius aureis,
O Marce, verbis concio tam frequens
Suspexit unquam, nec beatas
Hausit opes sitibunda Roma,

Quas

Quas ore fundens fluminis æmulo
Latè explicabas. Non ita ſanctior
Orator unquam confluentem
Vidit adeſſe ſibi coronam;
Campana quamvis ære ſonantior
Nuper tonaret, perque Italas volans
Cieret urbes grande murmur,
Atque tuos quateret, ſuperba
O Roma, colles. Blandius intonat,
At corda Rhetor fortius attrahit,
Plauſu Quirites quem recenti
Concelebrant, meritoque tollunt
Ad aſtra niſu. Cernis, ut aureas
Dum Roma voces pendula combibit,
Venere Muſæ, atque Hippocrenes
Deſeruit latices Apollo?
Hæc te volantem nobilis ingenj
Miratur alis, atque homines ſupra,
Supraque nubes, & beati
Ad ſolium penetrare Regis.
At illa mentis vim memoris ſtupet:
Hanc vocis argutæ exhilarat Lepor:
Hanc geſtus, & cum voce blanda
Exhilarant digiti loquaces.
Attolle pennis non homini datis
Ad aſtra cives: Templa, Colonias
Cæli, ut frequenti prole ditas,
Sic numerum patrio adde Cælo.

LY-

LYRICORUM

LIBER SECUNDUS,

In quem referuntur editæ anno 1670.
Odæ in laudem
Palutii Card. de Alteriis,
Aliorumque ex ea Pontificia Domo
Principum, cum iidem excipiendi essent
In Collegio Romano.
Brevissimæ sunt omnes, quia
in longum productas
non excipiebant designata loculamenta.

PALUTII CARD. DE ALTERIIS

Curæ Sacro Principe dignæ.

SUBESSE Regi Sydereo, Imperj
Laus prima Sacri est. Parietis aurea,
Depicta servorum venustas,
Currus Apollineam lacessens
Auro quadrigam, gemmea quadrupes
Lupata mandens, alipedum canum
Vis, quodque regali tributum
Cuncta ferunt elementa cœnæ:
Sunt probra Sacri Principis. Ætheris
Est Cardo quisquis moribus aureis
Effulget: ac defert ad Aras
Damna sacris populanda flammis

Syl-

Sylvæ Sabææ creber: & Hostiam
Cælo Sacerdos se pius immolat:
Suoque placatum sequester
Conciliat populo Tonantem.
Tunc & recepti Numinis ebrius
Amore, Pastor lac Sapientiæ,
Gregique porrectum liquabit
Innocuæ Pietatis uber.
Hac arte, Princeps, Purpurei inclytum
Decus Senatus, eriperis solo:
Cælestis & fulgore lucis
Attonitos hilaras Quirites.

Faustum Virtuti Seculum
S V B
PALUTIO CARD. DE ALTERIIS.

AUrea quæ jactant lymphati secula Vates?
Mentitur Thymbræus Apollo.
Flumina nec riguis fluxerunt aurea gemmis:
Puniceo nec vellere dives
In campis Aries fulsit, nec Terminus agris
Abfuit. Aut si faustior ætas
Blandita est Orbi quondam, populoque Latino,
Cessit deterioribus annis,
Ex quo Tybris aquas mollis violavit Orontes.
Virtuti uunc Aurea reddis
Secula, Romano tergis qui nubila Cælo,
Quo, rident nunc, Principe, soles,
Auspice quo Populis nova fulsit vena salutis:
Qui facili clementior Astro
Commune exuperas votum, lætusque videri
Plurimùm habes commune Tonanti;

Nam-

Namque Urbi prodesse, putas decora inclyta Sacri
Imperii. Sapientia gemmis
Nectit Erythræis regale sonantia verba.
Quæ vigilem longo agmine curæ
Circumstant, adimunt sera tibi nocte soporem.
Quis Phidias dignissima cælo
Ora sacrâ fingit dextrâ? Subscribimus: Urbis
Hic Pater est, Custosque Quiritum.

PALUTIUS CARD. DE ALTERIIS

Purpuratorum Principum Idea.

FOrmas, Cælicolum Chorus
Arcano taciti Numinis in sinu
Quas miratur, ab Æthere
Lapsas raró hominum concilium videt.
Te Formam stupet at suam
Quisquis Purpureo Murice fulgurat.
Hanc mentis niveus rubor
Exornat melius, quàm Tyrius liquor.
Vultus Purpura nobilis
Accendit Trabeæ Sidonium jubar.
Vivis sacra decentius
Virtus imbuit hoc syrma coloribus,
Cui nil suppeditat solum.
Non mittit Tyros, aut Africa muricem
Ad Phryxi aurea vellera.
At flos hìc rutilat Puniceæ Iridis:
Phœnici inficit aureas
Qui pennas, micat hìc sanguineus color:
Hìc & candida syderum
Lux ridet: placidi fulgor Apollinis
Huc fluxit: Meritis sacram
Iniecit Chlamydem Diva humeris Themis.

SUB

SUB PALUTIO CARD. DE ALTERIIS

Justitiæ, ac Pacis, cæterarumque Virtutum Imperium.

GReſſu Romuleos quis quatit alite
Colles, atque canit ſydereum melos,
Cælo lapſus ab alto
Formoſus Charitum Chorus?
Aſtræam video: lumine territat,
Sed terror decet. Hinc torquet ad oſcula
Pax frontem, diadema
Cui Thaumantias explicat.
Hinc irrupta Fides, almaque Veritas
Alterno choream greſſu iterant, manus
Conſertæ, ac Tua, Princeps,
Tollunt nomina ad Æthera.
Te regnante etenim Regna iterum petunt
Expulſæ Charites. Vincere geſtiat,
Qui cauſa potiore,
Non qui præſidio imminet.
Solem quadrijugo pronius aureo,
Quàm Te Juſtitiæ abſtraxerit orbitâ,
Quæ votis oneratur,
Te Rege, Ambitio irritis.
Sontes attenuas & pretio fidem
Oblato faciles frangere vitream:
Larvas cogis & atras
Fucum prodere pectoris.
Cretata extulerit ſe ſapientia?
Synceramq; lucris turpibus immolet?
Aulæ monſtra bilinguis
Nil, Te vindice, proderunt.

PA-

PALUTIUS CARD. DE ALTERIIS

Maximis Imperii Curis Major.

PEllæi Juvenis fluctuat alveo
Pectus solicito, perque genas cadunt
Ubertim lachrymæ non humiles, suo
Quòd non imperio premit,
Quotquot Democriti somnia, Cynthiæ
Trans Cælum, populos, regnaq; finxerant.
At vix edomuit, quos face Lucifer
Eous rosea beat.
Quos Arctos nivibus tardior obruit:
Queis incumbit Atlas rupibus igneis:
Queis Vesper rutilat, dum viduum die
Nox Cælum bijugo subit,
Haud Martis rapido turbine subruit.
Orbis consiliis sed minor est Tuis,
Princeps, qui celeri mente per omnia
Curas littora dividis.
Clemente Auspicium, Præsidium, & suos
Divos consociante, Imperio immines,
Atque ipso eveheris pondere: nec valent
Te lassare negotia,
Qui curis aleris, cum penetralia
Cordis pax hilaret; dum Maleæ in vada,
Urget puppim Aquilo, despicis æquora
Clavi alto moderamine.

PA-

PALUTII CARD. DE ALTERIIS

Voluptatum Odium, & Reipublicæ studium.

URbis Æternæ Columen, Latini
Imperj clarum decus, innocentis
Purpuræ Sydus, tua frangis acri
Pectora nutu.
Quod licet, tantùm libuit, nec omne
Quod licet, semper libet imperanti.
Mitigas curarum & amara parco
Tempora risu.
Haud Erythrææ decorant smaragdis
Infulæ sacrum caput otiosis.
Dona præsentis capere usque temnis
Sedulus horæ.
Haud Tibi indulgens, aliis soporem
Elocas: curas operosiores
Consecrans, ne quà populus laboret,
Pervigil ardes.
Urbis hinc audis Pater, atque Custos,
Publicæ fingens bona faustitatis,
Regna cui sordent, nisi Rex subacto
Serviat Orbi.

PALUTIUS CARD. DE ALTERIIS

Cupiditatum ab adolescentia Victor.

QUis æstuanti vincla licentiæ
Æthonis addat? Quanta Hyperionis
Insanientes vis jugales
Corripiat, Phaeton trisulco
Telo peremptus dicat, & aridi
Exhausta flammis Eridani vada,
Funusque Mundi. Sed ruentes
Solis equos citius negatis

Si-

Siſtes habenis, quàm juvenem, genus
Illuſtre, & ardor ſanguinis, aſperæ
Cui legis expertem per omne
Suadet iter glomerare curſum.
At te, Quiritum Spes & Amor, juvat
Acri juventæ nectere vincula.
Tibi ipſe præſcribis Lycurgus,
Et Cato, Pompiliuſque leges.
Vidit Lyceum, quod Draco pervigil
Cuſtos tuetur, Palladis artibus,
Et fortis imbutum Pudoris,
Ad Tyrios properare cultus.
Nunc Magnus Hoſpes, cum Charitum choro,
Regnum Minervæ dum repetis, ſuus
Apollo Parnaſum reviſit,
Caſtaliaſque hilarat ſorores.

PALUTII CARD. DE ALTERIIS

Candidi, & integerrimi mores.

IN ore regnant, que Tibi Charites Sacrum
Finxere pectus: flumina
Labris feruntur mellea, ac ſeſe lepor,
Et tota promit Comitas,
Moreſque madidi nectare, & frontis nitor,
Riſuſque blandus luminum,
Latentis animo ſigna fulgoris vibrat,
Et lactis inſtar candidæ
Mentis. Retenta fronte privata, inclyto
Conſpectus Oſtro, tempora
Coruſcus auro, publicæ ſervis rei.
Sic ore Clemens aureo,
Nutuque blando vocis auguſtæ micat.
Regnare compulſum probat

In-

Innube Cælum frontis, & ridentium
    Fulgor benignus Syderum.
Ut corda miti fascino hic nictus rapit!
    Ut sponte demissus Sacræ
Apex Thiaræ vertice excelso altius
    Attingit Arces igneas!

GASPAR PRINCEPS DE ALTERIIS

Lauræ de Alteriis Conjugio decoratus.

CONjugio, Gaspar, Lauræ dignate superbo,
    Quam spes Quiritum Sponsam anhelabant: velut,
Quos mundo debet, cum Sol in Virgine fixit
    Oculos, virere Laureum vidit nemus.
Non unus Lauræ fuit huic, aut alter Apollo,
    Casto jugalis ambitu accensus facis.
Nec veniunt, quamvis regali, a dote sagittæ:
    Nec forma, quamvis vincat Idæas, rapit;
Sed Morum nitor, & sexu Prudentia major,
    Magnusque Patruus Gentis Alteriæ Decus.
Exoptatus Hymen Tibi defert Aurea Poma,
    Indole, & Avorum stemmate, & meritis pari:
Æmula cui Patrum Virtus, quam mordet honesto
    Præclara sensu Gloria, ingenuus Pudor,
Divorum cultus, præcox animique senectus,
    Dant innocentis esse consortem Thori.
Sed Tua quo virtus alios sub Judice vincit?
    Tibi Pallas ipsa, non dedit Palmam Paris.
Lectus ab Æmylio, Superûm censeris ab aula
    Prælatus aliis. Ille nocturnus solet
Concilio Divûm misceri, oracula rebus
    Numine suis secura consulto ferens.
Non sic Ægeriâ doctus Numa, vel Jove Minos,
    Majæ Carondas prole, vel Phœbo Solon.

Consiliis aut, Vesta, tuis Zamolscis inanem
Mercatus auram, splendidè mendax, fuit.

GASPAR PRINCEPS DE ALTERIIS

Præclarissimorum Parentum Decus amplificat.

HEroum Soboles, quos Tyrium jubar
Ostri Romulei, sceptraque Martia,
Auro Sydereo sparsaque laurea
Divûm concilio inserit,
Quamvis provenias Arbore ab inclyta,
Ac Te Faustus Hymen inserat alteri,
Aurato nituit secula quæ decem
Phryxi vellere nobilis,
Non censes Tua, quæ suppeditant Avi,
Sed quæ ipse amplificas, stemmata Gloriæ,
Quæ magnis valeant ferre Nepotibus
Ex Te Patre superbiam.
Virtus fulgida Avorum antetulit facem,
Qua nunc & Pietas,& Pudor,& Modus,
Mentis clara dies & niteat Tuæ,
Romanæ & studium rei.
Frustra degeneres Nati Abavos strepunt,
Quorum gesta probris dedecorant suis,
Quorum umbrę ingenuę crimina Filiis
Semper sontibus exprobrant.
Fundamenta locant magnanimi Patres.
Ni fastigia tu admoveris Ætheri,
Debebis populo ludibrium, ut Gigas
Fractis turribus obrutus.

AN-

ANGELI PRINCIPIS DE ALTERIIS

Compositi in Principatu Animi moderatio.

ABditos mentis niveæ rubores,
Et verecundam fer ad astra lucem
Principis: Pindo huc agilis relicto
Labere, Clio.
Ille non fato tumidus secundo
Vela protendit: nihil inquieto
Credulus Ponto, nihil & faventi
Credulus auræ.
Novit, hoc tantùm stabili teneri
Lege, ut exortum nihil usque constet.
Ore sortem composito serenus
Spectat utramque.
Discit exemplo tenuare magno
Corda. Clementis generosa Solis
Sydera innubes imitata vultus
Lumine blando
Emicant. Longùm Pudor hic triumphet:
Semper & Cælo niteant Latino,
Quæ Jovis faustam, facilemque fundunt
Sydera lucem.
Sed minax Martis, truculenta diri
Stella Saturni procul est, sacrisque,
Axe quæ regnent diuturna nostro,
Distat ab Astris.



ANGELI PRINCIPIS DE ALTERIIS

Aequus Animus in utraque fortuna.

QUi nec secundis tollitur, arduis
Nec rebus unquam concidit, asperi
Exarmat iram, & blandientis
Munera, nequitiamque fati.
Prudens sibi ipsi est Numen: & imperat
Sorti bifronti. Tu nisi finxeris,
Fortuna, qua nectat catena
Pectora, non habet. Insolenti
Objeceris si frontem adamantinam,
Sors victa cedet: gaudia lachrymis
Aut vana miscebit, dolosis
Ut reparet nova bella donis.
Siren Charybdi noxior, aurei
Frons blanda Fati. Ad Sydera provehit
Præclara quamplures ruina,
Quos ad humum pepulit volatus.
Utrique, Princeps, Agmina cui sacrum
Dedere nomen Syderea, immines:
Adversa Constantem, secunda
Fors animum probat Innocentem.
Præcelsa Cælum mens hominum refert.
Serenus aer rideat, obsitus
Aut nube ploret, constat idem
Syderibus decor, atque Phœbo.



JO. BAPTISTA CARD. DE ALTERIIS.

CLEMENTI DECIMO

Sanguinis, & Virtutum cognatione Germanus.

TYbris Eurotam tumidus lacessit.
Alma Germanos habet Urbs Lacænos,
Ætheris risum, geminum Latini
Sydus Olympi.
Lumine ut fulgent simili! Ut serenos
Fronte cęlesti jaculantur ignes!
Lege ut elidunt stabili frementes
Æquoris iras!
Si fori raucum pelagus tumultu
Fluctuat, ventis agitata fidunt
Marmora, ut, nautis bene culta, Cęlo
Sydera fulgent.
Sævus Arcturi licet occidentis
Impetus regnet. Timidus procellas
Nunc quis horrescat? Nitet Axe Pollux,
Castore rapto.
Urbis o Tutela, & in omne Fratres
Nobiles ævum! Ratis imminere
Dignus æternis & uterque fausto
Sydere velis.
Vivet extentó diuturnus ævo
Alter, ac terras niveo beabit
Lumine: erepti geminata Fratris
Secula vivet.

JO. BAPTISTÆ CARD. DE ALTERIIS

SS. D. N. Fratris

Sacri in Vaticano Templo Oratoris Facundia.

UNdam Quiritum dum Tyberis videt
Ad Vaticanum confluere, aureus
Ex ore Pactolus diserto
Namque fluit, Tuaque ambit ardens
Potare, Princeps, flumina nectaris
Quicunque Sacram nobilis eloquj
Miratur artem: Perge faustis,
Tybris ait, pretiosa vinclis
Corda implicare: ut Gallicus Hercules
Fertur catenis ore fluentibus
Vinxisse turmas obsequentes,
Thracis ad invidiam canori.
Quod Suada verbis Imperium Tuis
Dat in volentes Romulidas, Tuo
Astræa, nequidquam gementi,
Imperium dabit alma Fratri.
Tunc nostra crescet fama, & ad Infulas
MAGNO ferar DE FLUMINE Principem
Misisse: tunc rebellem Orontem, ac
Nile, tuas, & Hydaspis undas
Sub jura mittam: Tunc & Amazonum
Qui bella fluctus Thermodoontii
Videre, & Eufrates minores
Volvet aquas, Tanaisque discors.

JO.

JO. BAPTISTÆ CARD. DE ALTERIIS

Eximia Sacræ Theologiæ scientia.

SYderum ex horto, Uranie, coronam
Texe: Cælesti dare serta fronti
Te decet. Qui nunc fruitur beato
Nectare Princeps,
Ille dum terris agitaret ævum,
Dædali pennis animi volucres
Increpans ventos, superansque nubes
Aurea Magni
Numinis Templa impavidus subivit.
Quæque Phœbeis laticant sub umbris,
Lucis immensæ oceano sepulta
Arcana Tonantis,
Vidit hæc hærens oculo irretorto.
Juvit & cunctas animum per artes
Spargere: exhausit Latium, tuosque,
Græcia, fontes.
Juvit & lites serere eruditas
Arma tractantem Sophiæ. Quis acri
Fortior verba ingenio Stagyræ
Flectere gyro?
Gregori, hoc Regnum Latiæ Minervæ
Audiit nodi series plicantem
Gordii, quas vix Macedo diserto
Solverit ense.



JO. BAPTISTA CARD. DE ALTERIIS

Summo, cui par erat, Imperio a morte præreptus.

VIs dira fatorum, Eumenidum soror,
Quæ te superborum improba funerum
Fames adegit, falce dignum
Nestoris ut meteres senectâ?
Vides, ut ambit solicita prece
Illum Supremi culmen ad Imperj
Efferre Virtus? Inter omnes
Emicat, invidiâque major
Dignus beatis dicitur Infulis.
Auditis, ut se non humilis rea
Tuetur? Avulso superstes
Sydus, ait, dominetur Auro,
Aut regna cedat Sydus Apollini.
Quo more Daphnin Cynthius, Æmyli,
Ut imperes Prorex Tonantis
Te sequitur, fugitive, regnum.
Horrescis altum tollere verticem,
Dum Regna flagras aurea Syderum:
Frustra reluctanti dederunt
Purpurei Tibi sceptra Patres.
Quem temnis, Orbem flectere quis labor?
Sic Archimedes Tethyos imminens,
Terræque moli, regna terræ,
Ac tumidas agitasset undas.

HIE-

HIERONYMI DE ALTERIIS

EQUITIS HIEROSOLYMITANI

Sanctiss. D. N. Fratris

Bellica Fortitudo.

FRondis Apollineæ ſacrum nemus effer in auras,
Calliope, prope littora Ponti,
Urgentis Batavos humiles pendentibus undis.
Illa etenim fuit area Martis
Heroi, quem, dum Fratres decora alta Togatæ
Palladis invitant, rapit ardens
Armatæ ingenium. Viden, ut vomit aureus ignes
Umbo! Thorax flagrat, & Enſis:
Caſſide recluſa ſcintillant lumina frontis:
Ut Cælo nimboſus Orion
Ferali rutilat ſub noctem fulgure, nubes
Cum ſcindit, Boreamque, Tyrannum
Æquoris, Ægæas cogit violentus in undas:
Tunc Pelago nant Cyclades alto.
At qualis ruit in Batavos? Irata Tonantis
Intorſit quod dextera fulmen,
Ceu ruit in Phariam lethali turbine puppim,
Et latera, & proram populatur:
Illita tranſtra pice, & nigræ dant pabula ceræ:
Fractus ſtridet malus in undis.
Jam ſuper antennas cæleſtis flamma triumphat,
Quam ſcopulo piſcator acuto
Proſpiciens, Siculæ ſpeciem mirabitur Ætnæ
E ponto minitarier aſtris.

HIE-

HIERONYMUS DE ALTERIIS

EQUES HIEROSOLYMITANUS

Sanctiss. D. N. Frater

Strenuitatem Gentis Alteriæ repræsentans.

QUalis ferocem dissimulans virum
Proles Marinæ bella fremit Deæ,
Ut audit Europam duello,
Atque Asiam trepidare magno:
Fastos suorum sic memores Patrum.
Dum vidit Heros, belligera indoles
Queis nominis vitam perennis
Multiplici peperit triumpho,
Exardet. Illum non patrius potest
Frænare Tybris, splendida non domus,
Non Purpuræ, & Fratrum Thiaræ,
Quodque Triplex Diadema fronti
Spes, & Quiritum vota parant sacræ.
Fulgore Romæ pulchrior aspici
Mavortis olli est pulvis acer,
Et Batavi furor æstuantis.
Exempla fortes cuncta acuunt viros,
Avita cogunt. Sic Macedo Patris
Trophæa dum cernit Philippi,
Magnanimo maduisse fertur
Perfusus imbri non humiles genas.
Nostræ supersit quæ area gloriæ,
Si cuncta terrarum paterno
Subdis, ait, gladio, Gradive?

MAR-

MARTIUS DELPHINUS DE ALTERIIS EQUES AB ALCANTARA

Sanctiss. D.N. Frater

Poloniæ Regi percharus.

CHristiadum, Generosa Polonia, vallus, ac Tyranni
Obex, pavorque, & fulmen Otthomanni,
Martia Delphini tu pectora, candidosque mores
Vinclis coerces aureis, & Aulæ
Præclara invitas ad munera. Fratris ille Magni,
Suisque clarus laudibus, Tonanti chos,
Lechorum, in Thraces qui fulmina torquet, atque Mos-
Cor surripit regale. Nunc Poloni
Quàm fausto celebrant certamine Triplicem coronam
Clementis! Illum Vistula ex Olympo
In sua delapsum nam commoda credidit, sequester
Quando, & quietis Arbiter, procellas
Castrorum, atque Fori compescuit, adfuitque Regi,
Reique Custos publicæ. Paternis
Nunc fovet auspiciis, & ámoribus intonata Thracum
Minis furentum Regna, Cælitumque
Recludens armamentaria, Præsidi Gelonorum
Adolet Stanislao nemus Sabæum;
Rursus ut ex astris in barbara castra crispisulcans
Telum coruscet: ut superba quondam
Osmani cum diruit agmina, Bistonumque pavit
Cruore campos. Cernis, ut profundo
Dira metu glaciantur pectora; concrepant per altas
Nam clara nubes classica, En petuntur
Frustra indignantis conclavia Bosphori. Fugato
Mox Thrace, Moschis incubant, Gradivus

Civili

Civili quos vexat turbine. Fræna rurſus ambit
Mordere Lechi Principis Smolenſchum.

MARTIUS DELPHINUS DE ALTERIIS

EQUES AB ALCANTARA

Sanctiſs. D-N. Frater

Omnes Europæ Regum Aulas ſplendidus hoſpes inviſit.

EUropa, Regum magna parens, rapis
Quàm præpotenti pectora faſcino!
Non Syderum ſic arſit arces
Icarus, & Phaeton ſuperbo
Tentare curſu, magnanima ut ſolet
Flagrare Pubes viſere Sequanæ
Fluctus minaces, Martiales
Scaldis aquas, Tameſim ferocem,
Rhenum profundum, atque auriferis Tagum
Illuſtrem arenis, Palladia inclytum
Bætin corona: quique plauſtris
Viſtula concutitur Gelonis.
Altas tuorum ſanguine laureas
Per cuncta, Marti, ſurgere littora
Spectas, & immortale paſſim
Indolis egregiæ Trophæum.
Externa fulgorem allinit Hoſpiti
Virtus. In unum migrat in omnibus
Spectata regnis. Sic Ulyſſem
Exilium excoluit ſagacem.

Mer-

Mercator altæ laudis ad ultimos,
Delphine, curſum ſic celeras Getas;
Metiris & callem Triumphis:
Urget equos velut Axe Phœbus.
Tibi Theatrum nobile Regiæ
Aulæ recludunt, nec minus explicas
Virtute, regalique cultu,
Regibus, & Populo Theatrum.

IN IMMATVRVM

FRANCISCI, ET RUTILII DE ALTERIIS

Sanctiſs. D. N. Fratrum

Funus.

ERgo Cupreſſus funebres, pulſa implicant
Daphnide fronde, comas? Phœbea nervis diſſilit
Chelys repulſis. Vere ſic primo occidit
Nobile par juvenum? Franciſcus,& Fratri æmulus
Rutilius, & utrique Pallas obfuit.
Cultus Apollo ſuis perniciem alumnis attulit:
Ut Clytiam adurit Phœbus, æterno ſuum
Quamlibet illa jubar quærat rotatu frondium.
Et Marte clarus alter, & Cæſar fuit
Laude in utraque, Toga, Sagoque clarus inclyto:
Quem docta flevit Felſina, inferias Duci
Ac tulit emerito: fronde & ſepulchrum Delphica
Sparſit. Valete nobiles umbræ. Sacri
Fratris ad imperium quis prohibet annos ducere?

Vi-

Vivendo fecla vincere æternum eſt decus
Sanguinis Alterii. Malignè at in vos irruit
Maturior vis. Sacra quàm bene Regia
Flectere lora manus noviſſet Imperii, & ſuum
Secuta Germanum indoles, fœlicia
Divideret populis fata. Heu maligno perſtrepat
Chelys ululatu: lachrymis Helicon fluat:
Perpetua & ſylua, Cypariſſe, Parnaſum intege.

HYMNORUM LIBER.

De Sancta Domo Lauretana.

HYMNUS.

AUla Divini Domus Alma Regis,
Luſtra quem plusquam quatuor latentem
Impari clauſit lare, fulminanti
Æmula Cælo.
Hanc Salus circùm volat, & Salutis
Pax comes, Virtus, Honor. Hìc Virago
Supplicum queſtus miſerata blandas
Applicat aures.
Cerno Divini monumenta Amoris
Sofpites flammas: & ab axe lapſas
Sentio curas per amica cælo
Tecta volantes.

Flu-

Fluxit huc cælum, comitesque Divi
Tecta certatim subeunt beata:
Claviger Cæli Petrus hanc ad Aram
Sacra litavit.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Sit tibi compar honor, hic beato
Cujus afflatu Mariæ resedit
Pectore Numen.

HYMNUS ALTER.

PLurimus cælo volat ad beatum
Aliger pondus, famulasque pennas
Mutuò nectit per inane tollens
Virginis Ædem.
Ergo per Cælum patriis ab oris
Vecta tranavit Domus Alma Pontum:
Venit ad collem, cui dat decora
Nomina Laurus!
Prona curvatis veneratur arbor
Virginis Magnæ sacra tecta ramis:
Excipit gaudens peregrina Cæli
Munera tellus.
Hausit hic fælix paries loquentis
Numinis voces. Vigilo, & quietem
Spectra non ludunt? Etiam loquentis
Assonat Echo.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Sit tibi compar honor, hic beato
Cujus afflatu Mariæ resedit
Pectore Numen.



HYM-

HYMNUS TERTIUS.

NUllus antiqui ſub humum recedens
Amovet tecti paries ruinam:
Fulcit haud Templi ſenium perenne
Ardua moles.
Nititur cælo Domus hoſpitaſi:
Stat ſuo niſu ruitura nunquam:
Cæteras ædes abolet vetuſtas,
Templaque Divûm.
Quando Terreſtrem ſubeunt Olympum,
Virginis Templum, rigeant ahena
Corda quantumvis, bonus illa cæli
Permeat ardor.
Bellico a tecto niveæ Parentis
Adriæ ad vaſti latus inquietum,
Fulminum volvi trepidavit imbrem
Barbara claſſis.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Sit tibi compar honor, hic beato
Cujus afflatu Mariæ reſedit
Pectore Numen.

De S. Ludovico Galliarum Rege.

HYMNUS.

INteger Vitæ mala Ludovicus
Omnia, & Mortem tolerare mavult,
Antequam pectus vitiet maligni
Criminis umbra.

Aſpe-

Aſperis flagris, cilicumque ſetis
Macerat corpus: periturа nunquam
Regna miratur: tribuens egenis
Prodigus aurum.

Regiâ dextrâ famulatur ægris,
Abluit ſordes, genibuſque flexis,
Lepra quos urit, recreat paratæ
Munere menſæ.

Pauperum tutor cohibet potentes,
Comprimit lites, miſeris benignus
Erigit lapſos, facili querelas
Excipit aure.

Sive lux terras radiis coloret,
Sive nox condat radios ſub undis,
Numen exorat, precibuſque ſemper
Aſtra fatigat.

Gallias ſceptro moderatur æquo,
Regibus normam ſtatuens regendi,
Regis Æterni valeant ut alta
Regna ſubire.

Patre cum Sancto Sobolem, Sacrumque
Spiritum laudent Populi, coronat
Qui triumphali pia Ludovici
Tempora ſerto.

HYMNUS ALTER.

MOrbus inſonti viduare Gallos
Rege molitur: prohibent querelæ
Pauperum, Cælum ſubeuntque vota
Supplicis Orbis.

Exul a curis fugientis ævi
Inſerit ſtellis animum: quieſcit
Impetus morbi, ſolitaſque vires
Integer haurit.

Barbaros contra Fidei rebelles
Præparat bellum: probat orsa Numen;
Nam Cruces Cælo radiare visæ
Arma lacessunt.
Navigat classis pia; Damiata
Vincitur: cedunt Syriæ phalanges;
Pestis at gliscens sacra Ludovici
Cæpta cohercet.
Heu Saracenis data præda cessit
Optimus Princeps. Aliena solvit
Vincla captivus, Fideique multos
Lumine lustrat.
Patre cum Sancto Sobolem, Sacrumque
Spiritum laudent Populi, coronat
Qui triumphali pia Ludovici
Tempora serto.

HYMNUS TERTIUS.

POenitens gaude chorus obsequenti
Corde Francisci venerate Leges,
Tertius Divi quibus institutus
Flectitur Ordo.
Innocens quamvis, scelus expiantum
Ingredi cœtum Ludovicus ambit:
Pauperum curas sequitur decora
Clarus in aula.
Fune præcingit latus; execratur
Aureas vestes, Tyriæque lucem
Purpuræ; gaudet magis obsoleto
Tegmine vestis.
Illitas linguas gelido veneno,
Quæ pias audent temerare Sancti
Principis curas, cohibent severâ
Sydera pœnâ.

Ille suspirans Patriæ perennis
Regna, dum bello Lybiam flagellat,
Corporis vinclis adit expeditus
Gaudia Cæli.
Supplicum votis facilis rogari
Comprimit morbos, revocatq; Vitam,
Amovet curas, premit inquieti
Pectoris æstus.
Patre cum Sancto Sobolem, Sacrumque
Spiritum laudent Populi, coronat
Qui triumphali pia Ludovici
Tempora serto.

De S. Elisabetha Ungariæ Regina.

HYMNUS.

Regia Stirpe Elisabeth refulgens
Signa Virtutum teneris ab annis
Præbet, augusti veneratur Infans
Limina Templi.
Lustra vix implet duo, jamque mira
Luce perfundit populos tuentes:
Spargitur totum puerilis ævi
Fama per orbem.
Se levat mentis super astra pennis:
Pervigil noctes trahit inquietas
Æstuans flammis superis, suumque
Numen adorat.
Regias odit Chlamydes, Coronæ
Sydus exhorret, radiosque formæ
Temnit, at cordis jubar innocentis
Ambit anhelans.

Aureos linquens thalamos rigorem
Gaudet horrentis tolerare terræ,
Sæviant quamvis gelidæ maligna
Frigora brumæ.
Admovet membris rigidos amictus,
Corpus & flagris tenerum cruentat,
Nec famem pellit dapibus, fitique
Invidet undas.
Supplici cultu celebremus omnes
Unicum Numen, pariterque Trinum,
Syderum nexu Elisabeth coronans
Omne per ævum.

HYMNUS ALTER.

DUm Crucem rorans lachrymis adorat,
Pallet, ignefcit, dolet, omnis expers
Hæret & fenfus, nec ei fuperfunt
Munera vitæ.
Vefte nativum referens colorem
Pauperis lanæ, renuenfque gemmas,
Cernitur gemmato, hyacinthinoque
Syrmate fulgens.
Carcere inclufis, viduis, egenis
Semper, ac ægris hilaris miniftrat,
Abluit fordes pedis, ofculatur
Ulcera lambens.
Dum fames urget Populos, recludit
Horreum, luces alit & per omnes
Læta nongentos inopes, fuifque
Veftibus ornat.
Supplici cultu celebremus omnes
Unicum Numen, pariterque Trinum,
Syderum nexu Elifabeth coronans
Omne per ævum.

HYMNUS TERTIUS.

Signa Francisci ſequitur, ſoluta
Coniugis vinclis, amat & videri
Pœnitens, ſemper licet innocentes
Duxerit annos.

Regibus dignas fabricatur ædes,
Febre correptis, aliiſque morbis,
His & ancillæ famulata ritu
Semper adhæret.

Pellitur caſtris, ope deſtituta
A ſuis exul procul ire tectis
Cogitur, gaudetque colum trahendo
Quærere victum.

Prævidet Mortis properare ſomnum,
Qui ſuo finem ſtatuat labori.
Cælitum ſedes ſubiit relinquens
Spiritus artus.

Plurimi, quos e tumulo vocavit
Rurſus ad vitam, ſuper aſtra pandunt
Regna ſortitam meliora lætos
Carpere ſoles.

Supplici cultu celebremus omnes
Unicum Numen, pariterque Trinum,
Syderum nexu Eliſabeth coronans
Omne per ævum.



De S. Joanne de Matha

Fundatore Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

HYMNUS.

DIve, quem magnus Moderator Orbis
Unus, ac Trinus sibi dedicatum
Ordinem sanctis jubet institutis
Ducere ad astra:
Quem jugo pressos, misera gementes
Sorte, perpessos Fidei periclum
Solvere e vinclis, patrioque jussit
Reddere cælo.
Veste fulgenti, niveaque clarus
Nuntius Cælo properat: colore
Cui rubro crux, cæruleoque picta
Pectora signat.
Rursus apparet bicolore Cervus
Inclytus nostræ Labaro Salutis:
Rursus & Cælum monet obsequentes
Quærere Alumnos.
Quin & ad sacras operatus aras
Pontifex Magnus videt axe lapsi
Angelum formâ redimentis Albos,
Æthiopasque.
Africæ Regum pretio furorem
Frangit oblato, revocans ab Orci
Faucibus multos, minuit Joannes
Sæpe catenas.
Te Deus Simplex, pariterque Trine,
Vincula ut solvas animi, rogamus:
Liberam totus tibi servitutem
Præbeat orbis.

HYM-

HYMNUS ALTER.

Jesu Redemptor omnium,
Magnes, amorque cordium,
Nos a catenis liberans,
Ac servitute Tartari:
Tibi Joannes sedulam
Ut servitutem dedicet,
Thracum levare vinculis
Captiva certat agmina.
Flammis amoris æstuat,
Quas omne non perdit Mare!
Ad Barbarorum littora
Volat: dat alas Charitas.
O verà, Christe, Charitas
Succende Alumnis pectora,
Ut Patris exemplo sui
Redemptiones urgeant.
Nos vinculis, quæ cordibus
Inferre tentat Satanas,
Ut claudat ad Cælum viam,
Jesu Redemptor, exime.
Concede, Sancta Trinitas,
Cui consecravit Ordinem
Suum Joannes, triplicis
Amare voti compedes.
Patri, Parentis unico,
Qui nos redemit, Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
Sit laus per omne seculum.

De S. Felice Valesio.

HYMNUS.

STirpe Regali satus, & propinquus
Galliæ sceptro, pretiosa vincla
Horruit Felix, trepidans Coronas
Antra subivit.
Hostiam Patri Sobolem litare
Ditius Regnum putat, & Sacerdos
Hostiam sese simul innocentem
Immolat astris.
Incolit sylvas diuturnus hospes,
Donec e Cælo monitus Joanni
Est datus consors, novus ut catenis
Eximat Ordo.
Æthere allapsum prius Institutum
Promovet Felix, Triadique Sacræ
Consecrans, trino pariter colore
Ornat Alumnos.
Barbaras terras penetrare jussit,
Nil canum dentes trepidare Thracum,
Africæ virus nihil, aut hiulca
Ora Leonum.
Da, Pater, nullos fidei procellis
Naufragos mergi, titubare nullos,
Quos ad insanam satagunt Tyranni
Ducere sectam.
Te, Deus Simplex, pariterque Trine,
Vincula ut solvas animi, rogamus:
Liberam totus tibi servitutem
Præbeat Orbis.

HYMNUS ALTER.

DUm regna Felix Cælitum
Intrat, triumphant Angeli:
Regina gestit Ætheris
Sui ex Alumni gloria.
Sceptro, & coronis prætulit
Dirum nemus Valesius:
Subivit antra, regias
Aulæ perhorrens compedes.
Mox ut catenis liberet,
Quos nectit hostis barbarus,
Trino recentem Numini
Felix dicavit Ordinem.
Est digna Regum germine
Diffusa in omnes Charitas,
Exempla cujus Filius
Nos Regis Æterni docet.
Albo, rubenti, & cærulo
Fulgens colore concinit
Maria laudes Numini,
Cohors & alma Cælitum.
Tu jure Felix diceris,
Indulta cui sors inferi,
Dum lachrymosæ es incola
Vallis, Choro Cælestium.
Patri, Parentis unico,
Qui nos redemit, Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
Sit laus per omne seculum.

In

In Festo Apparitionis Deiparæ Virginis

Ad fundandum suum Ordinem de Mercede Redemptionis Captivorum.

HYMNUS.

Plaudat alterno modulata cantu
Virgini Magnæ Soboles dicata,
Dum redit lux, quâ Genitrix Tonantis
Venit ab axe.
A suo Mater didicisse Nato
Visa largiri miseris salutem;
Visa captivos, quibus implicantur,
Solvere vinclis.
Scindat ut nexus animis, Redemptor
Venit in terras: Genitrix Olympum
Liquit, ut duris onerata nodis
Corpora solvat.
Venit, ut Cœtus sibi consecratus
Rite fundetur, cui donet ipsa
Nomen, & Leges rigida eruendi
Compede vinctos.
Nomen est ipsum pretium laboris,
Quo Redemptricis Mariæ Ministri
Dicimur: Merces alia est petenda
Nulla labori.
Servitus præstanda Dei Parenti
Anteit Regum titulos: catena
Sponte non rarò subeunda vincit
Regia serta.

Sem-

Semper Æterno sit honor Parenti,
Sit Redemptori decus, ex utroque
Fonte procedens celebretur omni
Spiritus ævo.

HYMNUS ALTER.

NOn ulla auspiciis nobilioribus
Consecrata potest institui cohors,
Quàm cui visa palam principium dedit
Cælo lapsa Deipara.
Uni nec Genitrix optima Numinis,
At se conspicuam pluribus exhibet,
Reges, & Sobolis delicias suæ
Sanctos alloquitur viros.
Testis prodigii seligitur triplex,
Jacobus, Petrus, & qui Radiis diem
Vir Mundo peperit, clarius emicans,
Quàm Solis nitidum jubar.
Quàm gratum Superis, ipsa quod imperat
Virgo, quod Soboli nuntiat, & sibi
Arridere, sacris ipsaque Legibus
Munit perpetuis, opus!
Quòd te condecorant stemmata Regia,
Regalisque cohors diceris, infima
Sit laus: clara nites, te quòd amans suam
Regina Aligerûm vocat.
Primos ipsa legit, qui juga detrahant
Captivis: comitem se dat, inhospita
Dum quærunt animo divite littora,
Fratres & redimunt suos.
Une, ac Trine Deus dirue vincula,
Queis mortale genus Tartarus implicat:
Da tectos meritis Virginis inclytæ
Tandem scandere sydera.

HYM-

HYMNUS TERTIUS.

Gaude Redemptorum chorus,
Quos Mater Alma Numinis
Perfectionis ultimum
Optare jussit verticem.
Haud ulla major Charitas,
Quàm pro salute Proximi
Vitam suam profundere,
Divina dixit Veritas:
Est Morte pejor servitus,
Quæ barbaris impenditur:
Istam subire Virgini
Jurata nos cogit fides,
Si quando opus pro pignore
Hærere, cum fratrum salus
Constricta vinclis ferreis
Ulli subest discrimini.
O vera, Christe, Charitas,
Incende amore pectora,
Dissolve cordis vincula
Rumpens catenas Tartari.
Da servitutem liberam,
Omnes tibi persolvere,
Matrisque Captivos tuæ
Vitam beatam ducere.
Sit laus Patri cum Filio,
Qui nos redemit perditos,
Tibique, Sancte Spiritus,
Laus sit per omne seculum.

De

De S. Petro Nolaſco.

HYMNUS.

PEtrum concelebrent agmina Cælitum,
Et cantu teferens Cælicolûm choros
Captivos redimens Ordo ſacer, tuo
Laudes inſtituas Patri.
Vix ortum Puerum prodigiis patet
Virtutum radiis conſpicuum fore,
Sed Regina jubar proferet aureum
Uſque ad ſydera Charitas.
Hanc examen Apum munificum notat,
Implet dum Pueri nectare dexteram:
Vagitu volucres mellificas, puer,
Ad cunas hilari vocas.
Raptis mox celeri morte Parentibus,
Patrum divitias undique contrahens
Liquiſti Patriam læthiferos dolos
Vitans Hæreſis impiæ.
Vix Hiſpania te nobilis excipit,
Conſumptis opibus, queis juga detrahas
Captivis, properas te quoque vendere,
Ut fratres redimas tuos.
Nobis, Summa Trias, parce precantibus:
Da Petri meritis ſcandere ſydera,
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere Canticum.

HYM-

HYMNUS ALTER.

ORdinis nostri Pater, atque Custos,
Petre, Captivi Populi Redemptor,
Quos tibi laudum canimus, benignus
Excipe plausus.
Te Deo, sacræque Dei Parenti
Vota Captivi gregis offerentem
Virgo dignatur recreare sancti
Lumine vultus.
Indicat cælo tibi lapsa Virgo
Rem sibi gratam fore, Filioque,
Cultui si Relligio sacretur
Virginis Almæ,
Quæ salutarem miseris, piamque
Porrigat dextram, juga Barbarorum
Quos premunt, ne destituant avitæ
Dogmata Legis.
Virginis vocem subitò sequutus,
Charitas nunquam pia quò tepescat,
Te, tuam quarti sobolemque voti
Nexibus urges.
Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ Petro tantum tribuens honorem,
Ejus & nobis meritis det almæ
Gaudia Vitæ.

HYM-

HYMNUS TERTIUS.

MAgnæ dicatus Virgini,
Et Virginalis Ordinis
Parens pudorem consecrat
Intaminatum Virgini.
Idem Propheta nobilis
Futura cuncta prævidet:
Hunc ore Custos Angelus
Et Virgo dignatur suo.
Fœlix beato funere
E corporis custodia
Solutus horâ, creditur
Qua natus in terris Deus.
Gaudet chorus Cælestium
Novo triumphans hospite:
Gaudet solum tam nobili
Fultum columna, & cardine.
Pastor, precamur, optime,
Gregem tuere candidum:
Captos redona Patriæ
E barbarorum vinculis.
Laus sit Parenti debita,
Virtus, honorque Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
Qui vivis, & regnas Deus.



De

De S. Petro Paſchaſio-

HYMNVS.

MAter Paſchaſium Relligio ſacris
Certet promeritum tollere plauſibus,
Qui lauri implicitus tempora frondibus
Alto regnat in Æthere.
Doctrinæque Petrus laudibus inclytus
Partitus miſeris verba fidelibus,
Chriſti præco tulit per Populos tuum
Nomen, Rex bone Cælitum.
Non illum tumidæ pompa ſuperbiæ,
Non Mundi inſtabilis deliciæ trahunt:
Captos Chriſtiadas ut redimat tuo
Se, Virgo, ſacrat Ordini.
Armis conſpicuus Paſchaſius novis,
Pugnas ſydereas ſtrenuus integrat,
Nolaſcum ſtudio perpetuo ſequens
Sacræ militiæ Ducem.
Vitæ curriculum, laurea funeris,
Mortales, Superi, dextraque Numinis,
Miris prodigiis Paſchaſio decus
Sancti nominis afferunt.
Divinus Genitor, Natus & unicus,
Utriuſque & Amor Spiritus evehat
Omnes Paſchaſii per merita ad Polum,
Qui laudes celebrant ſuas.

HYM-

HYMNUS ALTER.

PLaude captivi populi Redemptor,
Numinis Matri ſacer Ordo plaude:
Filii magni celebra ſonoro
Carmine laudes.
Petrus hic dignus Domini Sacerdos
Ore facundo, calamoque ſacro,
Grande munimen Fidei, ſalutem
Attulit Orbi,
Barbaras terras petit, ut catenis
Eximat captos populos fideles:
Igne divino rutilans pericla
Cuncta laceſſit.
Quot laborantes ope ſublevavit!
Vincla diſſolvit miſeris, diſerta
Voce Mauros innumeros vocavit
Chriſti ad Ovile.
Ut ſuis tandem raperet catenas
Fratribus, lætus tulit ipſe vincla,
Pertulit mortem, ceciditque ſancti
Martyr amoris.
O Deus noſtræ columen ſalutis,
Da Polum Petri meritis ſubire,
Quiſquis illius pietate vera
Nomen honorat:
Laus Patri Summo, Genitoque ſemper,
Quique procedit ſimul ex utroque
Spiritus Sanctus celebretur æqua
Laude per ævum.

HYMNUS TERTIUS.

Cives beati plausibus
Divina tollant munera,
Quæ charitatem barbaris
Testata sunt Paschasii.
Demit catenas plurimis:
Mox deficit pecunia:
Pro pignore ipse in vinculis
Hæret triumphans gaudio.
Quærit Tyrannus arrogans,
Quid Petrus in sinu ferat?
Fragmenta panis illico
Permutat ille floribus.
Offerre flagrat Hostiam:
Sacer Minister deficit:
Christus Minister adfuit
Beata monstrans vulnera.
Lumen Fides adaugeat,
Spes læta pectus roboret,
Incendat alma charitas
Petri sequuta incendium.
Concede, Sancta Trinitas,
Laudes Petri canentibus
Ut vincla solvantur reis,
Quos nexus urget criminum.

De

De S. Raymundo Nonnato.

HYMNVS.

DIve, quem terris genitum negamus
Legis immunem, miseras in auras
Qua genus prodit profugi a beatis
Sedibus Adæ.
Matris extinctæ latus ense apertum
Edidit partum, melior parente
Cui Parens Virgo fuit, obstetrixque
Præbuit ulnas.
Fortè Nonnatum quoque fama dicit,
Namque cælestes habitare visus
Moribus sedes meritò negatur
Incola terræ.
Solis immensum superat nitorem
Afferens Mundo Radios perennes:
Hinc bene infanti dedit auspicatum
Omina nomen.
Nil puer magnus puerile spirat:
Lacte nutritus pietatis almo,
Semper indulgens precibus, sacrasque
Fusus ad aras.
Ut sibi Virgo Genitrix, Magistra,
Callis, Exemplar, Clypeus, Patrona,
Esse dignetur, gemitu perenni
Sydera pulsat.
Hæc Redemptorum jubet aggregari
Cœtui, nuper miserata vinctos
Ipsa cui mirum, manifesta multis,
Præbuit ortum.
Semper Æterno sit honor Parenti,
Filio æternum decus, ex utroque
Fonte procedens celebretur omni
Spiritus ævo.

HYMNVS ALTER.

PEnnis amoris excitus,
Quas nulla frænant æquora,
Ad barbarorum littora
Servus Mariæ navigat.
Captiva ſolvit agmina,
Quæ preſſa vinclis ingemunt:
Dum deficit pecunia,
In pignus ipſe traditur.
Ut eximat diſcrimine
Salutis almæ proximos,
Sui libenter prodigus
Fit charitatis victima.
Legis nefandæ plurimos
A ſervitute liberat,
Pendentis è ligno Crucis
Divinitatem prædicans.
Tormenta ridet horrida,
Longaque morte paſcitur,
Dum labra claudit aurea
Seræ ligamen ferreæ.
Gliſcente fama Pontifex
Eccleſiæ inter Cardines
Iſtam perenni robore
Fortem Columnam ſeligit.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Qui per Raymundum eruat
E vinculis nos criminum.

HYM-

HYMNVS TERTIVS.

O Ter beate, cui Sacri
Divina dona Corporis,
Quo nos Redemptor recreat,
Chorus miniſtrat Cælitum.
Tardat Sacerdos, ultimâ
Quæſitus horâ, præbeat
Ut alma vitæ munera
In mortis atræ prælio.
En veſte amicti candida,
Crucisque Rubræ, & Cærulæ
Signo notati, deferunt
Cæleſte Munus Angeli.
O grata Cælo ſyrmata,
Quæ non abhorrent Principes
In gaudiorum Regia
Aſtare ſueti Numini.
Vitæ refectus pabulo,
Palmis onuſtus, Lilio
Ornatus, arces ſyderum
Felix Raymundus petit.
Portenta lites finiunt,
Quas inter Urbes plurimas
Intaminati Corporis
Vota excitarunt anxia.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclyto,
Qui per Raymundum eruat
E criminum nos vinculis.

EPIGRAMMATUM
Libri Sex.

LIBER PRIMUS,

In quem referuntur Dysticha Centum
In Cæleste Munus exorti Filii
Festo B. Stanislai die collatum
Excellentissimo Principi Joanni Baptistæ
Pamphilio.

PROLUSIO.


UM affirmaverit Socrates apud Platonem, tunc se homines ostendere Dei sobolem, cum unum, aut alterum dignum Poetæ nomine Carmen emittunt, prodigium videri non debet, si quæ in dies carmina prodeunt, plerumque Poetæ digna nomine minimè videantur. Quid ergo? Carmen omnino scribendum non est, aut perpetuò revocandum ad limam? Hoc quidem plerumque præstandum est; ac licet Natura nos doceat, aliquando pulchriora esse, quæ brevi, quàm quæ diuturno studio molimur, cum Quercum Cedrus, Iris nubes, Elephantum, & Ursum Homines vincant: ea videlicet, quæ ipsa Natura citius effingit, superent illa, in quibus con-

condendis operosè cunctatur; nihil tamen ridendum magis, quàm si Extemporalem te Poetam semper esse profitearis. Æternitati, si licet, plerumque pingendum; quamvis & egregii Pictores identidem in experimentum artis eximiæ, cui quærendum non sit a cunctatione præsidium, carbone aliquid ex tempore delinient in pariete. Utcumque tamen plerumque pluteum cædas, & unguem demordeas in iis fingendis, quæ Horatii præcepto nonum in annum premenda sunt; tentandum tamen identidem Extemporale Carmen, ad quod vel necessitas urget, vel gratus animus incendit, non ambitiosa, sed amante festinatione: quam si profitearis ingenuè, ut sæpe in Epistolis Sanctissimus vir Hieronymus, non deerunt fortasse, qui eam tibi vitio vertant. Causam afferre supervacaneum est. Iniquissimum est Literati Vulgi tribunal, quod Poetas ex properatis aliquando carminibus nescio qua indolis malignitate metitur. Hoc fortasse veritus ingeniosissimus vir Franciscus Petrarcha, cum juvenis effudisset Carmen, quod Africam inscripsit, licet refertum sententiis sit, plenumque poeticæ fictionis, & magna præterea in eo sit vetustatis, & naturæ cognitio, magna vis eloquentiæ, quia ultimam tamen illi non imposuit manum, affirmat in Epistola, quam scribit Posteris suis, rarò Patrem aliquem extitisse, qui adeo mœstus Filium unicum in rogum iniecerit, ut ipse hilaris Opus illud flammis abolevisset. Cumque Veronæ plurimi obviam illi honoris gratià progressi Africæ carmina recitarent, quotiescumque a sermone ansa illis exhibebatur, effusus in fletum est, &, ne ulterius pergerent, flagitavit. At ille frustra metuit, ne sui mensuram ex Opere illo posteri peterent: perinde ac insanirent, qui Virgilii vires ex Moreto metirentur, & Homeri ex Hymnis, aut descriptione pugnæ Ranarum, & Murium. Verendum id illis est, qui, utcumque alia conentur per annos

plurimos elaboranda, dignum operosâ curâ carmen fortasse non cudent. Intetim quæ nostris e Vatibus excepturi estis carmina, qualia demum cumque sint, idem certè Argumentum pertractant Epigrammata Centum Dystichis comprehensa: & in genere quidem Exornativo, quod arduum profectò est, cum facilius eadem amaro felle tingantur. Sedenim unum, aut alterum tantùm scribere præstitisset, omnium plausu excipiendum, & memoriæ fortasse mandandum? Ut uberi exultaremus copiâ, amor, & gratus animus imperavit. Ceterùm profectò nullum latet, in Epigrammatis non semper aculeum requiri; nativum aliquando candorem amari. At in nostris utinam utramque laudem desideraturi non sitis. Præterea qui, cum sententia in brevissimum carmen cogitur, exigunt perpetuò styli majestatem, ut iniquos se judices fateantur, Ovenum, aliosque legant, qui Dysticha illustria scripserunt. Neque verò cum Martiale professi:

Ista quidem mala sunt: quasi nos manifesta negemus:

Illud deinde addimus.

Sed tu non meliora facis.

Libentius usurpamus aliud ejusdem:

Quod non insulsè scribis tetrasticha quædam,
Dysticha quod bellè pauca, Sabelle, facis:
Laudo, nec admiror. Facile est Epigrammata bellè
Scribere; sed Librum scribere difficile est.

Quod si hoc ille affirmat de Libro, in quo magna est rerum Varietas, ut proinde commodum de quavis Epigramma condi possit; quantò magis adhiberi potest hic excusationis clypeus ab iis, qui plurima ludunt in unum, idemque Argumentum?

Demum cum eodem lepidissimo Vate proludimus:

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Cæsar, qui placuisse tibi.

Idi-

Idibus Novembris

BEATO STANISLAO KOSTKÆ

Consecratis suavissimus filius exortus est Excellentissimo Principi

JO. BAPTISTÆ PAMPHILIO,

Qui, præter cætera beneficia Societati Jesu collata, excitatum a præstantissimo Patre Templum absolvit, in quo Stanislai Corpus est reconditum, eidemque Sanctiss. Adolescenti Sacellum molitur erigere munificentia prope regali.

1. QUod tua sint Cælo, Princeps, gratissima dona;
Nuntius iste tibi venit ab axe Puer.

Ad Infantem.

2. Regnante magno Patruo exortus Pater.
Kostkæ in triumpho nasceris: par es Patri.

Vltro ingestum Beati Stanislai donum admiramur.

3. Munera quæ potuit meliora rependere Kostka?
Dulce o blanditi Cælitis ingenium!

Augu-

Augurium.

4. Alma dies Kostkæ, risisti fausta merenti
Quæ nunc Pamphilio, concolor usque redi.

Aliud.

5. Hunc tibi Pamphiliæ custos, tutelaque Gentis,
Dat natum, Princeps. Dic mihi quantus erit?

Ad Principem Patrem.

6. Auro animi nectar, natosq; emis, astraque, Princeps.
Nunc certè clausum possidet arca Jovem.

Cur non exortus sit Infans ante reditum Excellentissimæ Rossani Principis.

7. Expectas Aviæ reditum, Puer. Hac sine magnum
Nil parit Urbs. Mundi nec parit ipsa Patres.

De Infantis pulchritudine.

8. Dignatur Pueri in vultus descendere Kostka.
Formosi hic magnum Cælitis instar erit.

Puer Cæli munus.

9. Kostka auget vitæ pretium. Hoc est vivere, Pupe:
Præcipuo Cæli munere posse frui.

Ad

Ad B. Stanislaum.

10. Haud Princeps donata colit te ob præmia, Kostka;
Te propter tantùm præmia at ipsa placent.

B. Stanislai Gratus animus.

11. Illibata fides Kostkæ, candorque Polonus,
Quid Patri melius redderet, haud reperit.

De B. Stanislao Deiparam appellante Matrem suam, & religiosissima Principe Infantis Matre.

12. Divinæ est Numen Genitrix experta Dianæ,
Quæ suevit Genitrix Præsidis esse sui.

Hac die triumphasse Fabiam Maximum perhibet Honufrius in Fastis.

13. Dum citus exoreris, vincens Fabium erigis Urbem,
Sunt Quadriga Inopum corda, triumphus amor.

Ad Infantem.

14. Quæ meliora tibi exoptem, suavissime Pupe?
Ut te amet, ac dicat Kostka, fuisse suum.

Ad

Ad munificentissimum Principem.

15. Dum gazâ ditas Inopes, atque erigis Aras,
Non certent donis vincere te Superi?

Aliud.

16. Omnia das Superis: non speres omnia, Princeps?
Quis vinci facilem dixerit esse Deum?

Cur Infans natus sit aurora surgente.

17. Aurora exoriente Puer prodivit in auras.
Hoc unum deerat, cætera solis habet.

Aliud.

18. Est genitrix Aurora, pudor namque ornat in axe
Matutam, & Matris fulget in ore tuæ.

Orante Religiosissimo Patre filius exoritur.

19. Auspiciis nasci haud poteras melioribus, Infans;
Fausta etenim Genitor, dum rogat, illa facit.

Aliud.

20. An te vota ex Axe, Puer, rapuere Parentis?
An subitò ad Cælum vota tulere Patris?

De

De Religiosissimis Principibus Pueri Parentibus.

21. Hoc munus Patri indulsere, an sydera Matri?
Hoc certè dignus munere uterque fuit.

Ad Patrem munificentissimum.

22. Aureus oblatum tibi ob aurum redditur Infans.
Hujus, at innocuè, dextra Midam referet.

Ad eumdem de B. Stanislai munere.

23. Magnus, qui superis tibi munera mittit ab oris.
Nec magnus, Superûm munera qui recipis?

Ad Fabium Maximum, qui hac die olim triumphavit, respicit ludus quatuor Anagrammatum:

Roma, Mora, Amor, Maro.

24. *Roma*, tibi Fabii placuit *Mora*? Et hic erit Infans
Urbis *Amor*: Merita hunc ferret ad astra *Maro*.

De B. Stanislai munere.

25. Omnia qui spondent Divi, jam plurima donant.
Haud levius Superis dicere, quàm facere est.

Aliud.

Aliud.

26. Nulla tuis digna auſpiciis quia ſydera, Divi
Auſpicium præbent, quo exoriare, Puer.

Cur Infans appellandus ſit Innocentius Stanislaus.

27. Eſt nomen Innocentius Stanislaus.
Puer ergo ab Innocentio petat nomen.

Naſcitur vivente Patre.

28. Exempla incurrent Nato quæ prima Parentis?
Votorum, ut pennis diſcat ad aſtra rapi.

De B. Stanislao, cujus in manibus pingitur Infans Divinus.

29. Alma ſuum Koſtkæ Puerum dat Virgo: Parenti
Dans alium has Charites a Maria didicit.

B. Stanislao Sacellum eriget Pater.

30. Fit Niobe infœlix contempta ob Numina Marmor.
Koſtka oblata ſibi ob Marmora dat ſobolem.

Feſta

Festa B. Stanislai dies dilata est in Idus Novembris.

31. Addicta hæc Kostkæ quoniã fuit, hanc amat Infans?
Kostka diem an legit, qua hic oriturus erat?

Ad Infantem.

32. Te nascente, Puer, Charites risere, faventes
Quas Kostka ad cunas misit ab axe tuas.

Postquam a gravi ægrotatione convaluit liberalissimus Pater, filius exoritur.

33. Protrahit ille ævum, qui munera donat egenti?
Qui Kostkæ, in natis usque superstes erit.

B. Stanislai gratus animus.

34 Gratia uulla vicem peperit, nam Gratia Virgo est?
Virgo Kostka parem nunc peperit Charitem.

Ad Principem Patrem.

35. Eduxisse potest qui Abrahæ de Marmore natos,
Dat tibi pro oblatis Marmoribus sobolem.

Aliud.

Aliud.

36. Ipsa quidem tibi dona placent. Quantùm ipse beatas
Auctor Kostka sacri muneris auget opes!

De B. Stanislai dono.

37. Scire piget Pueri decora, & decora inclyta Patrum:
Sufficit a Kostkæ namque venire manu.

Aliud.

38. Quid parva Pueri membra despicis? Kostkæ
Beata quicquid præbuit manus, grande est.

Amica controversia de Pueri nomine.

39. Reor esse idem, Puerum Innocentium dici,
Insonte petere aut nomen a Stanislao.

Deiparam Stanislaus Matrem suam appellabat.

40. Si Stanislao Genitrix fuit optima Virgo,
Quem Stanislaus donat, erit Puero.



Ani-

Animi demissio Religiosissimorum Parentum.

41. In Patrem Genitrix, in Matrem hæc dona retorques
Dum Pater, alterutrũ haud dona minora manẽt.

Novembribus Idibus natum se fuisse dixit Divus Augustinus in Lib. de Vita Beata. Ad Puerum de doctissimo Patruo nunc Eminentissimo Principe Benedicto Pamphilio.

42. Hac Phœnix Sapientum ortus luce. Ingeniorum
Monstra imitabere, quæ sunt tibi, Pupe, domi.

Ad Infantem de hisce carminibus.

43. Ipsa etiam ad cantus animas qui Marmora, Solem
Te vatum plausus dixerit esse, Puer.

Ad Principem Patrem,
De B. Stanislao.

44. A te qui tanta accepit, nil præstet? Amanti
In pugna vinci non pudeat Superos?

De Eminentissimo Cardinali Facchenetto Magno Infantis Avunculo.

45. Si Regna Patrui Maximi vidit Pater:
Avunculi tu Regna spectabis, Puer.

Ad Infantem.

46. Invectum Kostkæ quamprimùm, Pupule, pennis
Ipsi etiam noscent te, reor, Antipodes.

De B. Stanislai Auspiciis.

47. Faustum est, fœlici nasci sub sydere? Faustum,
Lucem sub magno Cælite inire, puto.

Aliud.

48. Ut Cæli munus, crescet pulcherrimus Infans:
Et documenta dabit, quo sit sub Præside natus.

De Patre Superis Munificentissimo. Respicitur ad Fabulam Deucalionis, & Pyrrhæ.

49. Orti sunt homines projecto e Marmore? Nati
Oblata ob Superis Marmora sunt Homines.

Ad

Ad Infantem.

50. Quis non miretur te, Pupule, qui videt ipsi
Delicias Superûm te tribuisse choro?

B. Stanislai gratus animus.

51. Se vinci metuens, si Principis augeat aurum,
Indulgens Natum Kostka: Ero victor, ait.

Ad Infantem, De Excellentissimi Patrui Benedicti Pamphilii Sapientia.

52. Te digna exoptas, Infans, si carmina, Phœbum
Exora, ut Patruo suggerat illa Tuo.

Vltroneum B. Stanislai munus.

53. Blandum est, tradere dona, cum rogaris.
Quantò blandius, antequam rogeris?

Ad Patrem Munificentissimum.

54. Haud Superi donāt, solvunt tibi Pignora, Princeps.
Haud amor hic largus, gratus at est animus.

Aliud.

55. In te qui Superûm, Princeps, non ſentit Amorem,
Inſanit, læva aut carpitur invidiâ.

Filium fuiſſe Stanislai munus nullus inficiatur.

56. Haud quiſquam hæc tribuit Fortunæ. Roma fateri
Prodigia haud facili credulitate ſolet.

Aliud.

57. Terrarum ſi unquam Sapientia ludit in orbe,
Hos certè ludos Ætheris aula probat.

Ad Infantem.

58. Eſt Koſtkæ auſpicium magni tibi Numinis inſtar.
Magnum Koſtkæ cum Numine fœdus ineſt.

Aliud.

59. Famâ imples Urbem vix ortus, Pupule? Adulto
Impar hoſpitium maxima Roma dabit.



De

De Filio.
Ad Munificentissimum Patrem.

60. Sperasti lucrum prudens mercator. Emebas
Auro, & Marmoribus Templa animata Dei.

Vltroneum B. Stanislai munus.

61. O quid non Superi præstent in vota vocati?
Si non orati hæc munera dant Superi?

Augurium.

62. Kostkæ addicta dies faustas quem fudit in auras,
Cura erit hic Kostkæ, deliciumque, Puer.

Postquam e gravi ægrotatione Pater convaluit,
Filius exoritur.

63. Te rapto, invidiæ haud Inopum paria astra fuissent.
Reddunt Te, ac, Patrem quæ referat, sobolem.

De B. Stanislao sobolem donante, eodemque
sæpe viso pugnare in Scythas,
& Turcas.

64. Das prolem Virgo? Sic, Pacis signa sequutus
Kostka, Scythas bello fundis, & Odrysios.

Ad Patrem.

65. Dilectus Cælo, Princeps, tibi nascitur Infans.
Dilectum Cælo quis neget esse Patrem?

Aliud.

66. Extra fortunam est quicquid donatur Olympo,
Cui gazas linguas, sydera dant sobolem.

Ad eumdem Principem Pauperum Patrem.

67. Usque adeo Populus Te diligit, ut sit hic Infans
Delicium Patris, delicium Populi.

Martialis verba parum immutata ad illustrius argumentum detorquemus.

68. Quantum jam Superis, Princeps, Cæloque dedisti?
An, tibi quod solvat, non habet arca Dei?

Ad Infantem De B. Stanislai auspiciis.

69. Sub Marte exoreris; Fidei namque Ægis, atroces
In Thraces Fulmen Kostka, Puelle, fuit.

De

De fœlicissimo Infantis exortu.

70. Fœlix, quæ blandis sonuit vagitibus ædes:
Exorto haud fœlix sic Jove Creta fuit.

De Infante suavissimo.

71. Qui Stanislai Puer aureus ore salutat
Auroram, plaudit, non gemit ille Puer.

De eodem
Augurium.

72. Quem Kostka indulsit terris, hic moribus insons
Custodis mores præferet usque sui.

Idus Novembres sacræ erant Junoni.

73. Est Juno Lucina tibi Divina Virago:
Hæc tibi lac, Infans, præbeat Alma Parens.

Ad Patrem Stanislao Munificentissimum
De Filio.

74. Si vivum, Princeps, Tibi Templum Numinis ultro
Reddit Kostka, ipsas haud tibi reddet opes?



Ad eumdem Patrem.

75. Oſcula dum nato das, Princeps Optime; Cæli
Tantùm, inquis, Puer, in te mihi dona placent.

De Stanislai munere.

76. An Divi dent verba, patet. Qui prodigit aurum
Pro Cælo, hic aurum ſuſcipit, & ſobolem.

Augurium Diuturnæ vitæ.

77. Quæ ſibi adempta, olim rapto juvenilibus annis,
Luſtra ſuo blandus donabit Koſtka clienti.

Ad Infantem.

78. De te non hominum naſcuntur gaudia tantùm,
Aſt ipſis præbes gaudia Cælitibus.

Naſcitur ſurgente aurora.

79. Auroram expectas oriture? In Tethyos undis
Sol lateat. Pandes pulchrius ipſe jubar.

De

De Pulcherrimo Templo a Pamphiliis Principibus erecto, & exorto Infante.

80. Quod pretium Kostkæ pro Æde? Illa colonia cæli
Sit quamvis Ædes, quàm minor est pretio?

De B. Stanislai munere.

81. Dum Puer ætherea tingendus nascitur undâ,
Has Stanislai quis neget esse nives?

De eodem plurimos Infantes ad vitam revocante.

82. Diligit insontes insons. Aut Kostka puellis
Indulget primò, restituitve dies:

Jovi sacræ olim erant Novembres Idus: Ad Infantem.

83. Hæc fabuloso sacra lux fuerat Jovi.
Eris juvando Jupiter Quiritibus.

De B. Stanislao, & Filio Domitiani, cui assentatus est Martialis.

84. Lusit ab axe, nives calvi dum Cæsaris infans
Spargeret? Hic Puerum donat ab axe Puer.

Ad

Ad munificentissimum Patrem Societas Jesu ipsi devinctissima.

85. Pro nobis grates Divi tibi reddere, Princeps,
Incipiunt. Kostka haud unicus astra tenet.

B. Stanislaus interiit decimo octavo Kalendas Septembris.

86. Cur in Novembres KostKa distulerit suum
Idus triumphum, pandit hic causam Puer.

Faustum Infanti Auspicium.

87. Saturni procul astra. Tui nam Præsidis, Infans,
Kostka perpetuus risus in ore fuit.

De Infante Stanislai munere.

88. Alternus quondam si frater venit ab astris,
Pro se Polluce an Castora Kostka dedit?

De Tusculano Musarum Monte In Regali Villa Excellentissimæ Aviæ.

89. Qua cunas lauro ornamus tibi, Pupule, nuper
Aldobrandini gloria ruris erat.

Aliud.

Aliud.

90. Aldobrandino quæ colle evolvitur unda,
Illa mihi posthac Castalidum imber erit.

Virtutis triumphus
In Religiosissimo Principe Pueri Patre.

91. Estis, Io, Superi: Cælo caput erige virtus.
Est cordi, Superis, sydera quisquis amat.

Ad B. Stanislaum Mortuorum excitatorem.

92. Innumeros vitæ qui, Stanislae, redonas,
Huic vitam indulges primò: erit illa brevis?

Idus Novembris Sacræ olim erant Junoni.

93. In axe quamvis pingat Heroum viam
Lucina Juno, lac tibi haud præbet, Puer.

Ad Integerrimum Infantis Patrem.

94. Pignora dant fidei Superi: Immortalis in astris
Namque eris, hic etiam in Prole superstes eris.



De eodem Munificentissimo Principe.

95. Quem genuit, magnoq; emit quem prodigus auro,
Nomine multiplici hunc dixerit esse suum.

Ad eumdem.

96. Te liberalem dixero? Reor avarum,
Magnanime Princeps: fœnerator es prudens.

Eidem Augurium aliarum Prosperitatum.

97. Quid precer, o Princeps? Fausta cum Sorte quotannis
Pamphilio redeat candidus iste dies.

Ad Infantem de optimo Parente.

98. Sacra facit Vates. Tibi sydera, Pupe, precatur,
Moribus ut vivas Patris, at ille suis.

Cur serenus fuerit Stanislai dies.

99. Kostkæ addicta dies roseam cur lampada profers
Nubibus expulsis? Hic nitor est Pueri.

De Idibus Novembribus,
Quibus exortus est Innocentius Stanislaus
Pamphilius.

100. Majæ Mercurium, Augustæ peperisse feruntur
Idus Dianam. Præstant utrisque Novembres.

In

In hæc Dysticha

A Decem Rhetoricæ Auditoribus dicta

Extemporale Epigramma
Sapientissimi, & Celeberrimi
P. Antonii Vieiræ Societatis Jesu
Tunc Romæ degentis,
Effusum ab illo exeunte ab Academia
post hæc Carmina audita.

PAmphiliâ Sponsâ Musa est fœcundior ista.
Illa Unum, Pueros edidit ista Decem:
Infantem illa dedit, doctè dedit ista loquentes:
Illa Novem Menses distulit, ista Diem.

Distichon Egregii P. Caroli Bovii S. J.

Parva quidem, Pueri sed rara crepundia collo,
Tam citò quod fuerint edita, Prodigium est.

EPI-

EPIGRAMMATUM

LIBER SECUNDUS,

IN NIVES DEVOLUTAS

Pridie Kalendas Ianuarias Anni 1670.
Epigrammata Centum totidem
Distichis comprehensa.

PROLUSIO.

CUM artificium variandi formulam, & sententiam edocebamus, quæ una est ex præcipuis Rhetorum laudibus, eademque animos jucundissimè suspendit, adeo ut admirationis mater, aut filia dicatur Iris, eò quòd

Mille trahat varios adverso Sole colores,

contigit, ut Nix ultima Decembris die Romam velaret. Placuit hinc exempla desumere illius, de qua tunc sermo nobis erat, Varietatis, utque unam, & eamdem rem multipliciter exhiberemus, candidissimam nivem plurimis poeticis pigmentis coloravimus. Accipite faustis auribus Epigrammata Centum totidem distichis comprehensa, ad quæ scribenda non a quovis fonte aquam nostras in areolas derivavimus, sed tantùm ex celebri loco ab Adjunctis: imò ne ab hoc ipso quidem, quà latè patet ad omnia, quæ rem circumstant, sed quà solummodò animadvertit Tem-

pus,

pus, quo res ipsa contigit. Quærimus ergo, cur e Cælo devolutæ sint nives pridie Kalendas Januarias, & licet magna ex parte contabuerint eodem, quo lapsæ sunt, die, tamen ipsas etiam Jani Kalendas candore notaverint.

In mites Divi Sylvestri nives temperantes frigus.

1. NEc tu Sylvester, quãvis nive contegis Urbem;
Urbanus, lenis si nive frigus, eris.

In ejusdem Divi Sylvestri nomen.

2. Sub nivibus Sylvæ hybernis plerumque laborant.
Sylvestro hinc albet sacra dies nivibus.

In Soracte Monte Divus Sylvester delituit.

3. Candida sunt nivibus Soractis culmina: Romæ
Sylvester Montem fingit, ubi latuit.



In

In eundem Divum Sylvestrum, qui Constantinum Cæsarem sacro fonte lustravit.

4. Cum Constantinum liquido abluit Æthere, primas
Sylvester tribuit tunc tibi, Roma, nives.

Ænigmaticè innuitur, amictam nive Romam fuisse festo Divi Sylvestri die.

5. Sylva nives Romæ defert? Edissere. Distat
Urbe nemus: Romæ ferre nives poterit?

Ultima Decembris dies sacra est Divæ Columbæ Virgini.

6. Intacta nive candidior petit astra Columba,
Virgineasque suo spargit ab Axe nives.

Cur ante Divæ Euphrosinæ diem Roma nivibus obruatur?

7. Euphrosinæ latuere nives sub veste Virili:
Sub quibus Urbs lateat, nunc dedit illa nives.



Ulti-

Ultima Decembris dies Divo Barbatiano addicta est.

8. Barbatiani feſta dum redeunt ſenis,
Vis tanta ab aſtris labitur canæ nivis.

Dum inſtat octavus poſt Natum Divinum Puerum dies, labuntur nives.

9. Munifica his olim rorarunt aſtra diebus,
Candidaque hæc nivei ſunt monumenta Dei.

Martialis luſum ad illuſtrius argumentum detorquemus.

10. Qui ſiccis blanditur aquis, & ab Æthere ludit,
Arbitror has pueri Numinis eſſe nives.

Ex eodem Argumento aliud eruimus.

11. Candorem qui poſcit, amatque nivalia corda,
Divini has Pueri quis neget eſſe nives?

In idem argumentum.

12. Sunt nivei ſoles, pueri qui Numinis ortum
Concelebrant: ſiccis hinc decorantur aquis.

Post natalitia Divini Pueri festa decidunt nives.

13. Labere nix: niveus Puer est, Puerique Corona,
Joannes nix est, & Pueri Innocui.

In SS. Pueros Innocentes.

14. Vim nivium magnam tellus donavit Olympo:
Miraris, Cælo si cecidere nives?

Cur delapsæ pridie Kalendas Januarias consequenti die nives solvantur.

15. Cras dissolventur canentia vellera; namque
Divini Pueri cras rubuere nives.

Ex eodem Argumento Omen.

16. Lapsa hodie nix, cras Dio tingenda cruore est.
Fertilis est annus, cum rubuere nives,

Post lapsas nives mitius aliquandiu frigus fuit.

17. Bethlæa sub rupe nives læsere Tonantem:
Ablatus rigor est a Puero nivibus.

In

In idem Argumentum.

18. Mitescunt lapsa nive frigora; mite puelli
Numinis ingenium nam didicere nives.

In Æstivas Exquilinæ Virginis nives, & hybernas Filii.

19. Æstivis nivibus Romæ blandita Virago est:
Hybernis Infans ludit, at innocuis.

In easdem Divini Pueri nives temperantes frigus.

20. Æstivis nivibus Genitrix Divina calorem,
Frigoraque hybernis Filius imminuit.

Cur nivibus operiatur Roma a Puero Divino, qui Cælestem ignem in terras detulit.

21. Igneus est Infans: niveo cur labitur imbre?
Virgineas ignis nam fovet ille nives.

Delapsæ post natum Divinum Puerum nives frigus imminuunt.

22. Glacies adurit improba igneum Deum,
Qui nunc Quiritum temperat frigus nive.

Qui nunc candido nivium velamento
Romam induit Divinus Puer,
Cunas habet in Exquilino Templo a nivibus deliniato.

23. Ubi ceciderunt Matris æstivæ nives,
Sunt Filii Cunabula. Ut nives amat!

Lusus ex eo, quod ultimo, & primo anni die
Roma nivibus tegatur.

24. Labuntur anni, Romulæ perstant nives.
Riphæa vincet antra Romanum gelu.

Hoc ipsum Ænigmaticè exhibemus.

25. Toto anno ningit, nec bis duodena nivali
Hora pluit nimbo. Has, Oedipe, solve notas?

In idem Argumentum.

26. Raró, inquis, Romæ ningit? Geminantur & anni,
Dum tumulata jacent Romula tecta nive.

Sub initium novi anni labuntur nives.

17. Faustior annus init, cujus primordia ningens
Signavit Cælnm candidiore nota.

Cur

Cur ultimo anni die labuntur nives.

28. Debuit effæti lux Anni extrema Senilem
Mentiri cano vellere Cæſariem.

In eundem niveum anni finem.

29. Lux Anni poſtrema nives cur illinit agris?
Credi abiens annus nam cupit innocuus.

Contra nives ultima infauſti anni die lapſas.

30. Creſsâ notandus annus haud fuit notâ,
Quo Creta cecidit. Craſtinum expectent nives.

Sub finem anni, quo extinctus eſt Sanctiſſimus Pontifex Clemens Nonus, labuntur nives.

31. In lachrymas nix meſta fluat, dum clauditur annus,
Quo Creta, & Clemens Optimus interiit.

In idem argumentum.

32. Clemens hunc Annum incæpit, Cæloque receptus
Blanditus terris donat ab Axe nives.

Cur mites fuerint nives, & frigus aliquandiu temperaverint.

33. Candidus, ac mitis Princeps demittit amicas,
Dum ſuus hic Annus clauditur, Axe nives.

In eundem niveum anni finem.

34. An ſiccis lachrymatur aquis ſua funera cedens
Annus? Cur arent? Sunt ſenis hæ lachrymæ.

Cum ſiccæ aquæ dicantur nives, quærimus, cur his annus defleat ſua funera.

35. Morientis anni lacrymæ areſcunt: Solet
Siccare namque maximus fletum dolor.

Decembri menſe Saturnales ludi celebrari conſueverunt.

36. Saturnalitii poſtrema luce Decembris
Innocuæ præbent ludicra tela nives.

Eodem, quo lapſæ ſunt, die magna ex parte tabeſcunt nives.

37. Cur totus emori niveus annus nequit?
Niger emori, qui vixerat niger, ſolet.

In

In Lunaria præsagia ultimo Decembris die vendi consueta.
Augurium certum primæ anni diei.

38. Prima nivalis erit lux. Nunquam hodiernus ineptas
Scripsit Ephemerides certius Astrologus.

Lusus in eamdem niveam anni senectutem.

39. Romanos moriens annus nive conspuit agros;
Hæc est effœti namque saliva senis.

Cur ultimo anni die Nivibus canescat Roma.

40. Nam dici innocuus vellet, nive clauditur annus?
Subvertit Cretam. Noxius ille fuit.

Ex eadem Creta sumimus Argumentum.

41. Candida nix, pariterquæ infœlix Candia Cælo
Labitur: illa in humum, hæc Tartara in ipsa ruit.

Vera Faustitas Innocentia est: hanc novo anno ex nivibus ominamur.

42. Augurium faustũ! Innocuũ fore quis neget annũ,
Cujus prima dies candida sit nivibus?

In idem Argumentum.

43. Dimidium confecit opus, primordia fausta
Qui dedit. Est anno principium niveum.

Futile Argumentum dissolvimus.

44. Ortu nivali tumidus annus tollitur?
Est semper innocens puer, an ideo & viri?

Qua die Xenia olim mitti consueverunt, ningit.

45. Saccareum Xenium quia cessas mittere, ningit,
Conflari ut nivibus ficta placenta queat.

Ad Moniales, quæ Xenia mittere prohibentur, ut saltem crustata liba nivibus conflent.

46. Dona prohibentur mittere Sacræ Virgines?
At crustula dare nivea quæ leges vetant?

In idem Argumentum.

57. Donare possunt crustula hæc Ascetriæ
Referta nivibus, nam queunt dare nihilum.

In pueros, qui ſub initium anni præſtolari ſolent Sacrarum Virginum munera.

48. Ad cruſtulata liba, quæ Monaſtriæ
Miſere, pueri currite; at nix ſaccarum eſt.

In Feſta convivia, quæ ineunte novo anno celebrari ſolent.

49. Cum nix famem exacuat, bene exortam, reor,
Dum feſti opiparè tranſigi ſolent dies.

Quo die delatoribus ſtrena dari conſuevit, Roma veſtitur nivibus.

50. Eſt quando dives pipere delator nigro,
Erit Solæcon aeris, ſi nix cadat.

In munus nigrum hac die Exploratoribus exhiberi ſolitum.

51. Exploratorem piperis donare cucullo
Oeconomi parcant: claude, cuculle, nives.



Luſus

Lusus in eosdem Exploratores.

52. Exploratori quæ traditur improba merces,
Ningit luce? Nigram hanc par fuit esse diem.

In eorumdem laudem.

53. Ningit, tibi cum strena, delator, datur;
Namque niveos tui timor mores parit.

In idem argumentum.

54. Tantùm hodie nix e miti delabitur axe?
In delatores saxeus imber eat.

Ad pueros, qui saxa nivibus tegere solent.

55. Saxa, puer, tunica potes occultare nivali,
In delatores si tua tela volant.

In eosdem Exploratores.

56. Hoc tantùm argento merces solvenda doloso
Exploratori, quod tribuere nives.



In

In eosdem exploratores invehimur.

57. Exploratores nigra qua luce triumphant,
Alba Romanus cur nive candet ager?

In eosdem delatores.

58. Ut delatori rigeant ad munera dextræ,
Lapsæ hodie summo sunt, reor, Axe nives.

Sensim, ac lentè labuntur nives die, qua Fabius Maximus olim interiit.

59. Cunctator hodie Fabius excessit. Mora
Dum lenta moritur, tarda cur nix labitur?
Masculus in fastis 31. *Dec.*

In eundem Fabium Maximum hac die extinctum.

60. Per montes tractum Annibalem Fabius nive fregit.
Hæ Cunctatoris sunt monumenta nives.

In eundem Fabium Maximum.

61. Qui Romæ Clypeus fuerat Fabius, tegere Urbem
Consuetus, Romam nunc tegit his nivibus.

Ni-

Nivali hac die extinctus olim est Titus Livius, qui lacteo eloquentiæ fonte manare dictus est.

62. Lactea donavit vivens si Livius Urbi
Flumina, dat saltem post sua fata nives.
The. V. hum. t. 24. l. 1.

In ejusdem Titi Livii interitum.

63. Eximius Livj candor candore nivali
Pingitur: hinc albent, dum perit ille, nives.

Publius Ovidius exul ultimo anni die fato concessit.

64. Naso Tomitanas hyemes tolerare coactus,
Queis periit, donat nunc tibi, Roma, nives.
The. vitæ hum. t. 24. l. 1.

Cur in cœnum liquescant nives?

65. Vix orta nix tabescit: hac moriens die
Ovidius illam spiritu impuro enecat.



Ni-

Nivali hac die interiit Commodus Cæsar.

66. Commodus interiit, qua luce incommoda Romæ
Multa, licet mites, nunc peperere nives.
*Baron. an.*194. *num.*3.

Kalendæ Januariæ dicatæ olim erant Jovi, cujus festa die Roma operitur nivibus consuetis fœcundare campos.

67. Studium juvandi nomen imposuit Jovi.
Juvare suetas arva largitur nives.
Gyrald.l. de anni mensibus.

In eundem Jovem.

68. Delabi in pluvium consuetus Jupiter aurum,
Nunc spargit, redeunt dum sua festa, nives.

Contra eundem Plutonis fratrem.

69. Haud nive conspergi decet, at fuligine, Romam,
Quondam ubi sunt furvi festa agitata Jovis.



In

In eundem Jovem.

70. Nivibus dolosi fidat ut nullus Jovis,
Decepta Danae ab aurea pluvia monet.

In idem Argumentum.

71. Et Jupiter serò sapit, ut olim Phryges,
Niveus videri si putat spargens nives.

Et Junoni addictus erat hic dies Jovi consecratus.

72. In aere creantur nives: regnum aeris
Junonis est: dant festa Junonis nives.
Gyrald. l. de anni mensib.

Lacteam semitam a Junonis lacte formatam fuisse fabulantur Poetæ.

73. Junonis lac in Cælo si procreat astra,
Delapsum in terras fertile erit nivium.

Lusus in Apollinem, cujus festo Ethnicis die nivea est Roma.

74. Imberbis genitor barbatæ es prolis Apollo;
Sed canas quare dant tua festa nives?
Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 18.

Ejus-

Ejusdem Apollinis senectutem illudimus.

75. Juvenis videri quia cupit, Phœbus genas
Abradit? Hæc est lapsa canities seni.

In Apollinis annos inquirimus.

76. Phœbe pater, si florebas vel tempore Nævj,
Confectus senio es: nix tua canities.

Ad Dionysium Tyrannum Æsculapii tonsorem.

77. Furari auratam Proli, niveamque Parenti
Imberbi poteras, Dionysi, affingere barbam.

Et Æsculapio sacri olim erant nivales hi dies.

78. Magna Æsculapj sylva velabat genas:
Huic sacra dies ningit: ferunt sysvæ nivem.
Gyraldus l. de anni mensibus.

Eundem Æsculapium illudimus.

79. Barbatus sis usque licet, sis denique barba,
Phœbigena, haud nivea, ast aurea, barba tua est.

In

In eundem Æſculapium Archiatrum, ac nives temperantes frigus.

80. Medici Æſculapj luce labuntur nives?
Si mitigat nix frigora, haud ægris nocet.

Kalendæ Januariæ conſecratæ olim erant Iuventuti.

81. Cana eſt, Juventæ ſacra quæ fuit dies;
Cultus inanes forſan irrident nives?
Cic. ad Atticum l. 1. *ep.* 16.

Ex eo, quod ultimo anni die Roma nivibus induta ſit, Romanæ Innocentiæ argumentum eruimus.

82. Quæ niveis anni ſub funera veſtibus albet
Roma, ſui præfert candida ſigna animi.

Ad Vrbem Romam Fruſtra ſuperbientem nivibus ſuis.

83. Nive tegit ignes Ætna. Quod nivali annum
Claudas amictu, ne ſuperbias, Roma.

Qua

Qua die Lucius Antonius de Alpibus
triumphum retulit, nive
canescunt Romani
Colles.

84. Ut Africanus audit Africæ everſor,
Quia fregit Alpes Roma, nivibus Alpina eſt.
Onuf. Panvin. faſ. l. 5.

Concreti nive Romani montes appa-
rent poſtremo anni die, quo
Cajus olim Marius de Iu-
gurtha triumphavit.

85. Fracto Jugurtha Marius hodie Urbem ſubit.
Uſta triumphum ex Africa exhibent nives.
Ibid.

Romanæ fidei hoſtes Mauri
Ultima Decembris die a Bœtica ſunt
expulſi.

86. Devicti monumenta nives albentia Mauri
Dixeris? at Maurus non erat ille niger.
Ant. de Bald. Kal. 55. Virg. 1. Jan. num. 9.

In idem Argumentum.

87. Albeſcunt Romæ colles, cum Bœtica Mauros
Expulit: an ſaltem nomina pugnam ineunt?

Quo die Tarquinius Superbus pulsus a Regno fuit, Romam integunt nives.

88. Qua luce exacti Reges, cur Roma nivali
Veste tumet? Pulsa ob crimina in exilium.

Hac ipsa die primi Consules Rempublicam administrare incæperunt.

89. Cum Candidati Consules magistratum
Ineunt, & ipsa candet Urbs niveo amictu.

In Cariotas, quæ Kalendis Ianuariis mitti consueverunt.
Ad Ponticum Avarum.

90. Donari suevit Jani Cariota Kalendis:
Mitte apinas nunc, vel, Pontice, mitte nives.

Cur exortæ pridie Kalendas Ianuarias consequenti die in fluentem labem nives abeant.

91. Canum os mutabunt cras Romæ culmina: Jano
Altera frons Senis est, altera frons Pueri.

Ia-

Ianum primum Italiæ vinitorem fuisse perhibet fama.

92. Sevit in Hesperia Janus vitem. Huic quoniam ævo
Frigida vina placent, nunc dedit ille nives.

Bellis præesse solebat Ianus, cujus prima dies nivosa est.

93. Si Nix vel Jani prohibet pugnare Kalendis,
Clausus erit Janus. Pax trahet alma moram.

In eundem Ianum.

94. Syrmate Janiculum Janus decorare nivali
Tantùm debuit: Urbs sub nive tota latet!

In ipsum nomen Iani, qui anni janua dicitur.

95. Janua si alba est, ingreditur qua Janus in annum,
Qui color est Pacis, prælia nulla feret.

Ineunte anno solemus ominari amicis diuturnam ætatem.

96. Cum dare Nestoreæ consuevimus omina vitæ,
Ipsa etiam canos induit Urbs nivea,

In eadem Omina plerunque inania.

97. Nivea senectus Urbis effluxit citò,
Hodierna senii ut omina cadunt irrita.

In vetustum morem exornandi domos lauro Kalendis Ianuariis.

98. Delapsa nix est, quando velari domus
Suevere lauro. Carmen hinc ornat nives.

Dum Comitia pro eligendo Pontifice Maximo celebrantur, candidi sunt nivibus Romani colles.

99. Albus Pontificis color est; hic labitur astris,
Ut Patres illum dent citò Purpurei.

In idem Argumentum.

100. Mox regnaturi Senium canentia forsan
Designant nivium vellera Pontificis?
Regnavit paulò post Clemens X. fa. me. Octogenarius.



EPI-

EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

CÆLESTIS PROTEUS.

Sive in multiplicem vultum diei, quo coronatus est

SANCTISSIMUS PONTIFEX

CLEMENS X.

Epigrammata Centum. Edita Anno 1670. & iterum anno 1672.

Carminum Prolusio

DICTA

Sexto Kalend. Junii anno 1670. In Aula Maxima Collegii Romani.

CÆlestem Proteum, Eminentissime Princeps, *fuisse dixeris diem, qua Maximus Clemens coronatus est; si enim formas se vertit in omnes, ut fabulantur Poetæ, cæruleus ille maris Vates, optatissima pariter hæc dies multiplici ore videndam se Quiritibus præbuit. Aurora Nubibus obducta fuit. Raris*

itidem Nubibus obsitus aer, dum Purpurati Principes peterent Vaticanum. Mox, dum Solenne fieret Sacrum a Sanctissimo Pontifice, sine ullo Tonitrui strepitu, aut Venti murmure, tenuis Imber identidem decidit: identidem modestus e Nubibus prodivit Sol, qui deinde exultantior protulit frontem, cum exornatus Triplici diademate fuit Optimus Princeps. Prodire visus e Sipario est Syderum Cæsar, ut ipse pariter unà cum infinita mortalium vi ante Coronatum Divinitatis Vicarium procumbente cultum exhiberet illi, qui disperget cum Sole beneficas humano generi manus. Obsequio deinde suo perfunctus sub Nubes iterum recessit. Hinc ansa nobis oblata, illas tantùm ex innumeris Optimi Principis dotibus carmine repræsentandi, quæ ex multipliplici triumphalis Diei ore innuuntur. Quid, inquies, Imbri, & Nubibus cum Imperii Fugu, cum perpetuo sacrarum Precum studio, & cæteris Egregii Principis virtutibus? Aliquo hæc pacto fortasse convenient, & Philosophica plerunque ratiocinatione unum ex alio inferetur. Arcanis fæcunda sunt quæcunque Deum circumstant, ac Deo simillimos Principes. Præsuri tamen interea cogimur, deflora-tam esse in præsentia, qua unicè tueri se poterant nostri lusus, gratiam celeritatis. At cum illi, triduo postquam Cælestis Proteus *Romam exhilaravit, delati sint ad pedes Magni Clemen-*

mentis, cujus rei testem omnium Sanctissimum habeo (ut in simili argumento Statii verbis utar) a nobis culpam non absuturam credidissemus, si splendor elegantiæ ullus illis fuisset appictus, dum subiiciendi nunc erant oculis, utcumque eruditissimis, cæterorum, quo exornati non sunt, cum primò subiecti fuerunt oculis Pontificis Sapientissimi.

Quæ sequuntur, publicè dicta non sunt.

Cæterùm quemadmodum ineptos Arbitros ingeniorum teruncii facimus, ita præstantium Poetarum censuram veneramur:

Hi pressos incude maligna
Diffingant versus: horum sub pollice vultum
Ducat Apellæum rudis, informisque Camæna.
Horum aliquis feriat: dextram ferientis adoro.
Musarum a sacris alvearibus arceo fucos,
Ignavum pecus, & stomacho tunc surgit orexis,
Aggreditur quando Musas is forfice, Apollo
Quo minui Admeti nollet tonsore capellas.
Aude aliquid cedro dignum: decoctius affer,
Illepidum, & crassum dein carmen, Critice, carpe.
Non tu Mercurii, quod fingo, probas simulacrũ?
En sylvam: molire aliud: talaria, vultus
Exprime furaces, lignoque imitare crumenam.
Voti, inquis, modicus fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Est, qui de tabulis Zeusis Jove judicat æquo,
Nec phialâ super appositè depinget Jacchum.
Te certè peregrè rapuit non pictus Jacchus.
Pictorē haud illum ars sua, te esse jubet tua Vatē.
Hinc te quando tuum conari carmina adegit
Munus, & infœlix subeunda tibi alea, palle
Ceu Lugdunensis Rhetor: dein tetrica quinque
Ora feris claudas, exosa pericula vitans.
Quod placeat carmen, plus tēporis, atq; olei plus
Quærit, ais? Fabium cunctando at vincis, & Ursę
Partum infœlicem quarto eluctaberis anno,
Nec vinces, una quem nocte effuderit alter.
Tuque audes, canis, excusso suspendere naso
Quoscunq; haud tristi Vates mors intulit urnæ?
Vitam agitat? Nigrum Vati celer alline signum.
Quid si nequaquam juvenetur versibus? Atrum
Allinis? Elimat doctà mors carmina falce?
Ante obitum Patris esse nequit formosa propago?
Si Pater intereat, Thersites Nirea vincet?
Phœbe Pater, cunctare, lyram in cervice proterva
Frangere? Quandoquidē bene vivitur ambitiosa
Paupertate: alios prudens spoliato Poetas,
Ut volucres Cornix. Alienis, Critice, pennis
Haud unquā tolleris humo; usque adeo tua cęno
Infixit te segnities. Atque exedat omnes,
Omnia qui tela invitat? Qui carmina palmo
Metitur, Phœbi possit Collega videri,
Tantùm audet verbis? Castiget barbara dicta
Verna Mycipsarum? Vatum capita ardua calcet
Vilis

Vilis adulator vulgi, nam vulgus adorat
Contemptor Regum, vulgo quos æquat inerti?
Quid caput intorques cerebrosũ, & magnus haberi
Posse putas, alios rides quòd naribus uncis?
Morde aliena probris: quater expue: Cõcio nũ te
Lusurum meliora putet stantem pede in uno?
Livida quin animi putat argumenta pusilli,
Et qui desperet, quas audet carpere, lauros,
Utq; blitum, in proprio succo a livore coquatur.
Me tua commendat satyra. Haud tibi Musa probatur?
Ergo probanda. Suo nisi te fulgore perurant,
Illaudata aliis permittes carmina inepta
Spõte mori. Laceras? Populi famã ergo lacessunt.
Mordeor? Exulto. Est, Persi, qui velle recuset
Os Cynici meruisse, adeo mihi cornea fibra est.

Hæc per ludum dicta sint in hos Palladiæ aulæ tortores, qui artem omnem Rhetoricam in Hypercritica sitam esse arbitrantur, quamvis in hoc ipso artificio ferendi censuram de alienis Operibus egregiè peregrinentur. Hinc, quodcunque in lucem prodeat Carmen, verbis, ut ajunt, Herculis illud invadunt, & ex jactis in alios maledictis laudem quærunt, quam ex editis in lucem monumentis ingenii sui assequi se posse desperant. Horum objurgationis ambitu honestissimo incendimur; illa enim esset argumentum præstantiæ alicujus in scribendo nostræ. Et fortasse unum, aut alterum ex his Sesquica-

toni-

tonibus sperare possumus, qui suis nos convitiis exornet; cæteroqui enim humanissimos fore Lectores ominari possumus, cum Argumenti splendor, & gloria publicum nobis favorem, & quamplurimos hujus Editionis suasores conciliaverit. Hos, quibus obsequor, illustres Poetas *profectò non latet, in Scriptore Epigrammatum non quærendam illam, quam Sfortia Cardinalis* Pallavicinus *esse dixit notam cæterorum præstantium Authorum, ut videlicet si fortuitò semel, iterumque, ac tertiò Liber a Lectore aperiatur, semper incidat oculus in egregium aliquid, & singulari laude dignum; qui enim ex brevis hujusce carminis Scriptoribus assequuti hoc fuerint, oppidò paucos invenies. Id verò magis arduum erit, si idem sit argumentum carminum omnium, sique eadem exornativa sint; facilius enim assurgunt Vates, si aliena crimina morsu appetant erudito: ac demum si sponte pedicas Author inferat sibi, si videlicet non ex quovis fonte, sed ex* Pluvio *tempore, vel Sereno inferat Sanctissimi* Pontificis *prærogativas. Sed enim levis, inquies, ingenii fuit, has ipsas sibi compedes iniicere. Itane verò, a quo exempla duximus,* Principem Poetarum *nobiscum carpis? Ille enim sui Cæsaris laudes eruit a Sereno die, qui post noctem perpetuo imbre funestatam exbibita a Cæsare Augusto spectacula exhilaravit.*

Nocte

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane.
Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.

Sed professò has tibi ipse compedes non iniicies, qui ne sine iis quidem volare potes Dædaleis alis ingenii. Demum ut ex vero profitear, quod per ludum, aut per insignem modestiam protulit Martialis: Si mediocria hic multa, mala quamplurima, vix ullum fortasse bonum carmen invenies,

Aliter non fit, Avite, Liber.

EPIGRAMMATA.

Ex eo, quod Sol fuerit obsitus Nubibus, ac deinde serenus illuxerit, inferimus, Optimum Principem eodem ÆMYLII nomine in Regno appellandum.

1. QUi nunc ÆMYLIUS fuit, Latini
Ostri gloria, nunc & Urbis Almæ,
Et Mundi Pater est. Benigniori
CLEMENS nomine dicitur. Pelasgo
Sed vim nominis utriusque fonte
Si quæris, retinet vetusta blandus
Princeps Nomina. Dicimus Latini
Clementem, Æmylium vocant Pelasgi,
Clementem quoties vocant: Eodem
Ergo nomine nuncupatur idem

Cle-

Clemens, Æmyliusque. Nube septus
Squalebas modò, Phœbe, quem videmus
Uultu nunc hilarem sereniore:
Nunc mitem; fueras sed ante torvus.
Idem at lumine blandiente semper
Princeps Optimus est, fuitque Clemens.

Tempestivè accedendum ad sacrorum munerum functiones, inferimus ex Nubibus, & Pluvia.

2. Qui flore primo lucis exilit stratis,
Perfusus imbre nullo ad inclytum Templum
Processit; at serus soporis excussor,
Multo imbre madidus Aetheri dedit pœnas
Ignaviæ. Edocere visus est Imber
Quamprimùm inerti esse a quiete surgendum,
Et Templa sacra quantocyus frequentanda.

In Cælestem Proteum, & hujus seculi infortunia.

3. Nigranti heu nimiū, Princeps, quia tempore regnas,
Obscuro, viden, ut Nubila in Axe rigent?
Sed quia fata serenabis mortalia, per Te
Fulgebit Phœbi lumine clara dies.



In

In Pluviam, & Hostes Fidei Electionem Summorum Pontificum calumniantes.

4. Lemana lugeat Excetra, irritum virus
Vomens in astra. Pontifex salutatur
Alterius. An triumphus in sacris fastis
Hoc major invenitur? Assequor causam
Pluviæ hodiernæ. Romæ hic hostium est fletus.

In Solem e Nubibus tandem prodeuntem, & horrorem, quo Sanctissimus Princeps aversatus est Sacrum Imperium.

5. Concilio elabi e magno si posset, in antris
Quæreret Æmylius perfugium, & latebras.
Novere hoc studium Nubes, luduntqua tegendo
Solem, blanditæ Principis ingenio.
Ne latebras spera, Princeps. Solem ecce recludunt
Blanditæ Nubes Christiadum ingenio.

In Nubes, & Cælestes Mores, & Gentilitia Sydera Principis Nostri.

6. In terris postquam Cælestia cernimus Ora,
Cernimus & Mores Principis Æthereos;
Pallentes Cælo Phœbus non discutit umbras?
Phœbe late: hic Cęlum, hic Phœbus, & Astra vigent.

In

In Solem sub Nubibus diu latentem, & mirabilem Demissionem animi, qua Sanctissimus Pontifex repulit indignabundus illos, qui omnium primi Regnum ipsi obtulerunt.

7. Humanos Clemens mirè aversatus honores
Reppulit, ante suos qui cecidere pedes.
Phœbe, diem meliore coma non spargis? Eous
Impexus crinem tristior urget iter?
Principis an trepidas iram, servire triumphis
Illius obsequio si videare tuo?

In Solem sub Nubibus latentem, & Sanctissimum Pontificem, quem per vim sacris vestibus induerunt Purpurati Principes.

8. Solem educere Nubium involucro
Cur esse Herculeus labor videtur?
Cur serò jubar exerit nigranti
Sol e carcere? Nam sereniorem
Solem e Nube Modestiæ revellit
Per vim Purpurei labor Senatus.

In

In Pluviam, & Clementis Optimi Sanctissimum crimen.

9. Criminis expertem consuetus ducere vitam
Penè omnes Clemens mortales funere mergit,
Dum Diadema fugit. Scelus hoc non omnibus undis
Abluat Oceanus, nedum rorantibus atra
Eluerit lachrymis Nubes. Frustra ingruit Imber.

In Solem diu Nubibus tectum, & Æmylium Cardinalem de Alteriis, quem ipsamet Invidia calumniari nunquam est ausa.

10. Æmylius semper vixit sine vulnere famæ:
Eximium ipsa jubar suspicit invidia.
Hujus nulla hebetat Solis caligo nitores,
Cælestem velant nubila: major hic est.

Ex Nubibus Nestoream Ætatem ominamur Optimo Principi, qui diu recusavit Imperium.

11. Regnum repulsa plurima impatiens diu
Torquere Te decrevit. Æternam trahit,
Sub Nube quanvis abditus, Phœbus diem.
Latere quæris? Ideo Sol Urbis sacrum
Per lustra terris plurima affundes jubar.
Torquere Te decrevit Imperium diu.

In

In Cælestem Proteam, & Æmylium de Alteriis, quem nondum sacro Purpuratorum Principum albo ascriptum plerique ominabantur fore Summum Pontificem.

12. Romano nondum fueras conspectus in Ostro :
Ornabit, dixi, Te Diadema Triplex.
Nubilus Axis erat : Regnabit Cynthius, inquam,
Clementis cinget cum Diadema caput.
Evenere. Nitet pulcherrimus Æthere Phœbus,
Fulgore ornatur cum Diadema Tuo.

De Cælesti Proteo ad Clementem Naturæ imperantem, & recusantem Hominibus imperare.

13. Si Divina Tibi virtus, Divini & imago
Imperii est, spreto Major & Imperio es,
Gregorium ut Magnum dixit, Magnumque Leonem,
Magnum Clementem posthuma Fama canet.

In

In Pluviam, & Divi Malachiæ Vaticinium, qui dixit, Sanctissimum hunc Pontificem fore de Flumine Magno.

14. Tybride quis major? Non illi certet Orontes,
Non Tagus, aut Rhenus, non tua lympha, Liger:
Ipse etiam Oceanus Tybridi decessit, Olympo
Cum Roma æquavit belligera Imperium.
Regales Pluviâ Tyberis cur augeat undas?
Magnus, quamvis non Imbribus auctus, erit.

Deum sub Nube videndum se non rarò præbuisse, narrant Divinæ literæ.

15. Divina se sub Nube sueta Majestas
Mortalibus præbere. Fulgidæ Nubes,
Divinitatem si decent, tegant Cælum,
Divina cum exornat Corona Clementem.

De Pluvia, & Tyberi, qui eluvione intumuit, quo anno Sanctissimus Princeps natus est.

16 Vitales Clemens cum primùm venit in auras,
Erupit ripis furibundo gurgite Tybris:
Cumque Triplex parat Aethereos circundare crines
Infula, Cælesti rursus turgescere lympha
Ambit, & in campos effundi spumeus amnis;
Principis ingenium ut referat, qui largus inundat
Omnia muneribus, fœcundam ut Nilus arenam
In Pharios infert septeno flumine campos.

In matutinas Nubes, & Imperii Fugam.

17. Cur, luce pulsa, squalida exoritur dies,
Cum sceptra Magnus sumit Imperii Pater?
Nil quippe Regno tristius Magno est Patri.

In Imbrem & Lachrymas Sanctissimi Pontificis.

18. Regnum aversatus largo fles imbre: Tuusque
Fletus Cælestes elicuit lachrymas.

In Nubes, & Optimum Pontificem.

19. Quem serò extorsit tellus, succurrere seclo
Infausto hunc, Superi, ne prohibete senem.
Perpetuos Sol hic vivat si Nestoris annos,
Perpetuis Cœlum Nubibus obruite.

In Cælestem Proteum Clementi obtemperantem.

20. Cuncta supercilio Terrarum Regna movere
Quod possis, Sacri Muneris Imperium est.
At nutum Natura Tuum, Rex Magne, veretur:
Hoc Virtutis, non Muneris, Imperium est.

In

In Pluvium primò, deinde repentè Serenum Tempus, quo coronatus est Sanctissimus Princeps.

21. Nocte pluit tota; redeunt spectacula mane.
Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.
Mane pluit; pluvia haud lædit spectacula: Avita
Prodigia ostendunt Cæsarem, at ista Jovem.

In idem Argumentum.

22. Cum Jove divisum Imperium si Cæsar habebat,
Ipsum Clementi est Numinis Imperium.

Victor Augusti, & Naturæ Clemens.

23. Humanæ Pater, & Custos mitissime gentis,
Dotibus Augustum vincis, & Imperio.
Ille etenim haud totum frænavit legibus Orbem:
Cælum aperis: Tellus Te, & Nigra Regna colũt.
Natura hinc adeo majorem victa triumphum,
Quàm quondam Augusto, detulit ipsa Tibi.

Omen ex Cæleſti Proteo.

24. Prodigiis qui Auguſtum vincit, vincat & annis
Imperii: octo illi ſint neque luſtra ſatis.
Poſt centum exegiſſe decem ſi dicitur annos
Alterius Proavus, ſint Tibi luſtra decem.

Ad Sanctiſſimum Pontificem Sole e Nubibus prodeunte coronatum.

25. Imbrem ſuſpendis capiens Diademata Regni.
Senſerunt Numen Nubila & ipſa Tuum.

In Pluvium, mox Serenum, Tempus.

26. Imbre pluit tacito, Sol mitibus aureus undis
Mox prodit, rurſus blandior unda cadit.
Luditis, o Superi? An Romam læſiſſe verentur
Nubila, quam Clemens conciliat Superis?

In Imbrem, & ſublata dicatis Divino cultui viris ab humaniſſimo Principe Vectigalia.

27. Divinitatis cultui addictos levas
Onere vetuſto. Plorat interea Polus?
Sed Terra, Princeps, munere exultat Tuo.

In

In Nubes, & perpetuas Curas, quibus addictus est, dum sacræ Reipublicæ famulatur, Optimus Princeps.

28. Exultans non ridet Cynthius? Haud Tibi fulsit
Nam sine curarum Nubibus ulla dies.

Augurium ex Pluvia.

29. Dum Regno Tua Roma Tuo, Pater Alme, superbit,
Imbre madet: faustum est Cælitis omen aquæ.
Auguror. Aéthereo lustratas Flamine gentes
Innumeras Clemens abluet amne sacro.

Faustum Omen ex Pluvia.

30. Auratam dabit hic Pluviam, Diademata Regni
Qui dum sacra capit, labitur Imber aquæ.



Certamen Augurum ex antecedentibus signis Serenam, aut Pluviam fore diem, qua coronandus erat Sanctissimus Princeps, ominantium.

31. Nube involutus condidit diem Phœbus;
Hodierna Pluviam crastinam ferunt signa?
Natura frustra terret; ejus evertet
Nam jura Clemens. Pulchra surget Aurora,
Vicarius qua Numinis coronatur.

Sudum erit.

32. Exhilarant Cælum plaudentis gaudia Romæ;
Phœbeis radiis rideat Aula Jovis.

Sine ullo Tonitrui strepitu erit Nubilus aer.

33. Nullum Serena è Nube fulmen erumpet;
Romana Nubes Fulmina parat in Thraces.

In

In Imbrem, & Lacrymas Sanctissimi Pontificis.

34. Cælesti tergas manantia lumina rore,
Gutta nec è gravidis Nubibus ulla fluet.

Omen Pluviæ.

35. Quæ sæpe Pluvias Nube fœcunda ciet,
Aera pererrat Tartari nigrans cohors:
Dolore contabescet ob Regnum Optimi
Clementis. Ergo crastinas Pluvias aget.

Obsitus Nubibus erit aer.

36. Principis Augustis radiant Insignibus Astra.
Cætera condantur Nubibus Astra, decet.

Serenitatis Auspicium.

37. Mortalium pulcherrimum intueri opus
Sine Nubium velamine haud Cælum volet?

Pluviæ metus.

38. Cæleſtes oculos velamina nulla morantur.
Dives fæcundis Nubibus Axis erit.

Augurium ſereni Cæli.

39. Optabit fauſto Sol lumine noſtra tueri
Gaudia, & illimi deterget nubila Cælo.

Perturbati aeris omen.

40. Cæleſtis dubio vaneſcet Cynthius auro,
Aurea cum melior ſumet diademata Phœbus.

Regnum ſubterfugere omni ſtudio conatur.

41. Uſque adeo torquet, Clemens, Tua tempora Regnũ,
Ut, dum Sceptra capis, Nubila flere velis.

In fauſtiſſimam Imbrem.

42. In largam quamvis ſolvatur Jupiter undam,
Et triſti terras obruat Imbre Polus,
Hac mercede placet. Clemens dum regna capeſſat,
Cæleſtis Pluviam nectaris eſſe rear.

De

De Pluvia, & D. Malachiæ Vaticinio.

43. Fatidicus pingi Vates quem vidit ab undis,
Sceptra petit, faustæ dum fluit Imber aquæ.

Cur Mitis, & saluberrimus fuerit Imber,

44. Innocuus Miti cur Cælo labitur Imber?
Clementis Mores edidicistis Aquæ.

Erit Nubilus Aer.

45. Ut documenta ferant, nihil omni ex parte beatum
Esse, Triumphalem præcingent Nubila lucem.

Dum Sacrum non sine Lachrymis facit Sanctissimus Princeps, solvuntur in Pluviam Nubes.

46. Divinam Æterno Prolem dum Mysta Parenti
Devovet, assiduo perluit Imbre sinum.
Hinc solvi in Pluviam didicerunt Nubila. Faustum,
Quem Clemens Imbrem provocat, esse negas?



In

In Pluvium, mox Serenum Cælum.

47. Nubibus e gravidis illata pericula profunt:
Gaudia frustratus duplicat ipse Timor.

E Nubibus inferimus sacros Fidei Triumphos, quos ab universo Terrarum Orbe referet Maximus Clemens.

48. Cur suspensus agit Phœbus per Nubila currum,
Et majus refugit decolor ipse Jubar?
Vincendum sese novit. Mortalia curans
Phœbeum Clemens nam superabit iter.

Cælestis Animus Sanctissimi Principis pictus e Nubibus.

49. Incolis Axem Animo. In Cælum ceu Nubila conflans
Effertur Tellus, & peregrina Thetis.



In

In Auroram faustissimi diei Nubibus involutam.

50. Cur nigra augustam velarunt nubila lucem,
Primus ab Eoo cum micat Axe dies?
Nam Phœbo dixit Roma: haud tua lumina profer,
Cum rutilat nostro majus in Orbe jubar.

Thaboris, & Vaticani Nubes.

51. Delibanda suæ Numen cum fulgura lucis
Præbuit, in rutila exhibuit se Nube videndum.
Hinc, quando Clemens Divino lumine fulget,
Aurea Romanum cinxerunt Nubila Cælum.

In Nubes.

52. Suspendit Clemens, Nubes quem parturit, Imbrem,
An, sudum si esset, laus tua tanta foret?

In Nubes, & Eximiam Sapientiam Pontificis Maximi.

53. Nube fluit Pluvia, exundans Sapientia Magni
Principis Augustum dum Diadema subit.
Eloquii terras sacri qui flumine lactant,
Pinguntur Patres Nubibus irriguis.

En

Ex Nubibus inferimus Optimos Imperii Administros ab Egregio Principe lectos fuisse.

54. Nube ut nitores Phœbus involvit suos,
Sic, Magne Clemens, sponte Divinum Jubar
Imminuis, aliis lucem & affundis Tuam,
Fulgere Tecum Sydera & Phœbus jubes.

In innocuam pluviam.

55. Si Mores, Pater Alme, Tuos bene pingeret Imber,
Lacteus efflueret Nubibus usque latex.

Qui tempestivè Augustum D. Petri Templum petunt, immunes Pluviæ sunt.

56. Innocuæ pendent Nubes, nec Aquarius urnam
Exerit. An novit, cui famuletur, Aqua?

In

In Solem Nubibus tectum.

57. Condit Apollineos Radios cur invida Nubes?
Majus an Urbi Sol invidet ipse Jubar?

Dum Vaticanum petunt Purpurati Patres, sub Nubibus delituit Sol.

58. Syrmate nigranti subtexuit Optimus Axem
Princeps, ne lædas lumine, Phœbe, caput.
Nubila cui præbent famulatum, victaque paret
Natura, hunc ego non suspicer esse Deum?

Cur Imber e Nubibus defluxerit, & Fulmen ex iisdem non eruperit.

59. Fœcundus Imber, Fulmen & nocuum solet
Prodire Nube. Fertilis nobis erit,
In perfidos & Fulmen Odrysios parat.

Faustum omen ex Nubibus.

60. Hostibus aut Fidei portendunt Nubila Bellum,
Aut Lachrymas, Sanctus quas dolor eliciat.



In Imbrem, & Lachrymas Principis Nostri Imperium aversantis.

61. Ploras, ne summo regnes in culmine rerum?
Has quis Cæleſtes esse neget Lachrymas?
Hinc Pluvià tecum rorantia Nubila plorant:
Lætitiâ Cælum, aſt ipſe Dolore mades.

Sole e Nubibus erumpente aliquandiu pluit.

62. Exultans deflet Cælum? Quandoque recenti
Lætitia injussæ prosiliunt Lachrymæ.

In Pluviam.

63. Nubibus erumpunt quot guttæ, tot Tibi, Clemens,
Sunt Dotes, Magni tot Charites Animi.

In Nubes, & Gentilitia Pontificis Maximi Sydera.

64. Haud lustrat rosea terras Sol luce? Latere,
Cum regnant Cælo Sydera, Phœbe, soles.



De

De Sole diu sub Nubibus latente, ad Modestissimum Principem.

65. Sol latet, at celsa Cæli in regione triumphat.
Sponte lates, Phœbo ast altior astra petis.
Et quia sponte lates, sublimis in Axe triumphas.
Qui latet, hunc verè dixero Magnanimum.

Dum in Vaticanum Templum infertur Sanctissimus Princeps, sub Nubibus Sol delitescit.

66. Romulidum rapiat Princeps cùm lumina, Phœbus
Maluit ingrati quæsitam carceris umbram,
Quàm lustrare Polum facibus, quas nullus adoret.

Ex Pluvia Omen.

67. Excidium hic Imber Thraci fatale minatur.
Largior Odrysii sanguinis Imber erit.

In

In Pluviam, & Lacbrymas Sanctissimi Principis sacras ad Aras operantis.

68. Hic etiam nostros lachrymarum provocat Imbres
Imber, ut, Alme, sacro spargeris Imbre, Pater.

E nubibus inferimus supremum Jus Sanctissimi Principis.

69. Tradita Lex Mosi de Nubibus. Aurea sumens
Sceptra inter Nubes condere Jura potest.

In Pluviam, & perpetuum sacrarum Precum studium, cui addictus est Religiosissimus Princeps.

70. Dum Sacrum peragis, Tecum rorantia plorant
Nubila: Sol regnat, dum Diadema subis.
Qui diuturna vocare soles in vota Tonantem,
In Solem, atque Imbrem sumere jura potes.



In

In Pluviam delapsam, dum Beneficentissimus Princeps sacras ad Aras operaretur.

71. Ubera Terrarum sunt Nubila. Pingitur illis
Clementis, lactat qui Populos, Animus.

In matutinas Nubes, & sublatum ab Optimo Principe Sacris hominibus Vectigal.

72. Ut Cælum, Terras, ac Tartara Numine flectat,
Sceptra capit Clemens, Nube tegente Polum.
Quis, Pater Alme, Iovem Te non putet esse Tonantem?
At pluis Auro, non Tela trisulca vibras.

In Tempestivum, & agris saluberrimum Imbrem.

73. Ut tempestivum solvunt se Nubila in Imbrem!
Hunc Clemens dedit: haud fertilis esse nequit.
Prodigiosè Orbi Te, Clemens Optime, tandem
Indulsit Deus: haud Optimus esse nequis.

In Auroram nubibus tectam.

74. Constiteram exorientem Auroram fortè requirens,
Cum subitò Clemens Optimus exoritur.
Pace mihi liceat, Cælestes, dicere vestra:
Mortalis radios vincit Apollineos.

In Nubes, & Imperium Summi Pontificis laboriosum.

75. Tergeminâ dum Roma parat redimire Coronâ
Clementem, Phœbus Nubibus induitur.
Christiadum Patri raró affulgere Serena
Læta solent: sæpe hic Nubila Phœbus amat.

Per tres ferè horas identidem redeunte Pluvia maduit Roma.

76. Dum pluuia Romam redeunte irrorat Olympus,
Fœcundatque agros, labitur hora triplex.
Sic sacris onerare soles dum Sydera votis,
Imbre per æthereas usque cadente genas,
Tres fluere, & quatuor sueverunt sæpius horæ.
Ut campis animi fertilis Imber hic est!

Ex eo, quod nullo Venti, vel Tonitrui turbine concitatus sit Pluvius aer, inferimus Silentium, quo initum est consilium eligendi Sanctissimum Clementem.

77. Miscetur nullo ceu murmure, dum pluit, Aer,
Purpureo nulli sonuerunt Æthere nimbi,
Dum Sancto Patres conspirant fœdere, Terras
Ut Clemens regat Imperio, Cælumque recludat.

Deus

Deus inter Nubila.

78. Lumine ne lædat Numen mortalia, vultum
Consuevit rutilis Nubibus induere.
Quem præfert vitâ, penè est Collega Tonantis,
Sceptra inter Nubes, cui parat Imperium.

Cur Sole à Nubibus erumpente aliquandiu pluat?

79. Illustre quamvis exerat Phœbus caput,
Fluit Imbre Nubes; Gaudium hos fletus ciet;
Serenus hinc in Lachrymas Æther cadit.

Divinus Triumphus in Nube, ad Sanctissimum Principem.

80. In Nube effertur si Numen ad Astra curuli,
Divinum is inter Nubila ad Imperium.

A SS. Patribus Doctores fœcundis Nubibus comparantur.

81. Divinitatis erudite Proreges,
Per cætera potest secla Vita Clementis:
Exemplar Ille est omnium. Ergo Doctores
In Nubibus cum sueverint colorari,
Suos nitores Nube Phœbus involvit,
Diadema fronti dum paratur Augustæ.

Imbris causa.

82. Cur Urbem Nubes humectant Imbribus? Almum
Quòd serò Clemens fertur ad Imperium.

In Nubes, & Faustitatem ob diuturna Comitia.

83. At serò & ipse venit in Terras Deus,
Terrasque vinclis solvit: & Clemens jugo
Solvet vetusto criminum. In Lachrymas Polus
Ne solvat Imbrem. Fausta sors Terris redit:
Expelle Nubes, Roma, in Ægæum Mare.

Nubes Israelis dux.

84. Dux fuit Isacidum deserta per avia Nubes.
Optimus affulget nunc inter Nubila Ductor
Christiadum Populo, qui ad pascua læta volentes
Flectat oves, sylvâ errantes educat opacâ.

Justitiæ cultor eximius Coronâ exornatur, postquam diu sub Nubibus delituit Sol.

85. Genibus minores quem tremunt ipsi duces,
Judex verendus, Arbiter Mundi sacer,
Dum Nubibus velatur obscuris Polus,
Ad sceptra fertur. Alteri ut nubi insidens
Librabit æqua lance Mortales Deus.

Deus

Deus olim visus inter Nubila.

86. Divinus quia Nube suos Sol abdidit ignes,
Solem abdis, Regnum dum Tibi Sceptra parat.
Divini semper specularis lumina Solis:
Hinc hauris, Clemens, Numinis Ingenium.

Sol e Nubibus erumpit, dum Sanctissimus Princeps coronatur.

87. Sol prodit Nube, indicens nova gaudia Romæ,
Orbis adoratos dum cadit ante pedes.
Ut Sol Clementi solvat vectigal ab Axe,
Nubila cœperunt obsequiosa fugam.
Quos decet esse Hominum tali sub Principe Mores,
Qui jubet Ingenium Nubibus esse Pium?

In tenuissimum, & Rori simillimum Imbrem.

88. Ceu ros in gramen descendit Numen ab Astris.
Imperium Clemens Nnminis instar adit.

In Solem e Nubibus erumpentem.

89. Et nova Apollineum pertentant gaudia pectus,
Æneadum ut Cælo Procerum se gloria tollit?
Clementi lætus non plaudat ab Æthere Phœbus?
Romulidis faustam lucem Sol non notet Auro?

E Nube sublustri visus identidem fuit Sol.

90. E Nube Phœbus promit, & cælat diem.
Divinitas Clementis e vultu emicat,
Cæleste quamvis membra compescant jubar.

In Pluviam, & faustissimum Silentium, quo de renuntiando Pontifice consilium inierunt Principes Purpurati.

91. Concubia dum nocte tacent mortalia, Numen
Vagitu Bethles impulit antra Puer.
Sic dum cuncta silent, tradunt Tibi Sceptra Tonantis
Purpurei Patres: sic tacet Imbre Polus.

In Solem e Nubibus erumpentem, & renuntiatum post diuturna Comitia Optimum Principem.

92. Tranquillo ridet pacatum lumine Cælum,
Dum fremit exultans Principe Roma suo.
Dilata & geminantur gaudia. Pulchrior est Sol,
Cum dederunt Phœbo Nubila pulsa locum.

Dum Vaticanum Templum subit Sanctissimus Princeps, sub Nubibus Cælum latet.

93. Templa tuo, Salomon, Petri Cælestia certant.
Illud Nube latens suetus inire Deus.

Hoc

Hoc, dum conditus in Nubem Sol Axe recessit,
Templũ adit, ingens qui Numinis instar habet.

In Nubes, & horas, quas quotidie plurimas sacris precibus indulget Religiosissimus Princeps.

94. Diuino alloquio dignati e Nubibus olim
Aurea sueverunt ora videre Dei.
Perpetuò alloquitur Numen, qui dum humida pendent
Nubila, Tergeminum fertur ad Imperium.

In Solem Nubibus tectum,
Ad Sanctissimum Clementem, ne Imperium aversetur.

95. Conditus in Nubem cur Sol fulgere recusat?
Quid Sol? Terrarum Nobile Mancipium:
Perpetuo cursu terris famulatur. Haberi
Christiadum Servus, Phœbe superbe, negas?

E Nube Divinus Filius declaratur.

96. Cur, Lucis Alme Rector, in Nubem tuos
Cogis nitores? Nube nam e fausta Parens
Natum indicavit, ora qui mortalia
Induerat olim. Nube sic tegitur Polus,
Dum Corporati qui gerit vices Dei,
Cælestis est sumpturus Imperii notas.



In Nubes, & servatum hoc etiam anno a Religiosissimo Principe Jejunium quadraginta dierum.

97. Per Quadraginta exegit jejunia Soles,
Ac dein fulminea Moses e Nube Tonantem
Cernere promeritus. Totidem tenui dape Clemens
Duravit Soles, dein ipse e Nubibus aureis
Exhibuit Romæ speciem, Imperiumque Tonantis.

Cælestis Proteus alloquitur Eminentissimum Principem Palutium Cardinalem de Alteriis.

98. Multiplici e vultu, quem, Princeps, induo, pingens
Fronte Triumphalem versicolore Diem,
Te notat, illustris qui profert lumina Solis:
Romæ Hostes Imber, Nubila & atra notant.
Quisquis Romani Sancta horret Regna Parentis,
Fletus Imbre madet, Nubibus induitur,
Dum sacri Alcides Atlantis, publica curans
Commoda, Romuleum tollis ad Astra decus.
Indolis Augustæ fulgor, Generosus Avitæ
Stirpis honor, Vultus, atque Animi Charites,
Ingenii lux, & Claræ Sapientia Mentis,
Aurea Regalis Pectoris Integritas,
Te ostendunt Solem: aut de Sole Parelion alma
Clementis Magni lumina fronte refers.
Cælesti intuitu peperit Tua lumina Clemens,
Ut Soles alios Sol parit intuitu.

Pro-

Proteus Cælestis, sive multiplex vultus diei, quo coronatus est Sanctissimus Pontifex,
Ad Excellentissimos Principes Gasparem de Alteriis S. R. E. Generalem, & Angelum de Alteriis Triremium Præfectum.

99. Cæruleus Pelagi Vates ventura recludit:
Omina multicolor dat quoque fausta dies:
Sanguineam Thraci pluviam prænuntiat Imber:
Solvenda errorum Nubila, Phœbe, notas.
Consultò erumpis Nube, & magna omina præbes
Communis cultus, Phœbe, iterumque lates:
Quidquid flagranti lustrat Sol lampade, nutum
Clementis colet, hunc Phœbus ut ipse colit:
Et colet Heroes, quorum selegit ab omni
Romana Clemens Nobilitate Genus.

De Sole, & Pluvia ad Sanctissimum Pontificem.

100. Castalia Unda Tuus nobis est Imber: Apollo
Ipse es, Magne Parens, Syderum, & Orbis Amor.

EPI-

EPIGRAMMATUM

LIBER QUARTUS.

De Sapientissima Virgine

HELENA LUCRETIA

CORNELIA.

Epigrammata Centum.

PRodigium Urbium Venetias videram nunquam, cum primùm hæc Carmina edidi Anno 1672. Sed cujus, etiam exteri, ad aures non pervenerat Fama Ingeniosissimæ Venetiarum Palladis? Cum illa Volumen suum Incomparabili Viro Joanni Paulo Olivæ Societatis Nostræ Præposito Generali nuncupasset, jussus ab hoc unum, aut alterum in illius Heroinæ laudem Epigramma cudere, opportunius duxi Centum, qualiacumque demum, effundere.



In

In Præclarum Opus,
quod Helena Lucretia Cornelia edidit,
& Præstantissimo P. Ioanni Paulo Olivæ
Societatis Iesu Præposito Generali,
& Pontificio Concionatori,
dedicavit.

1. NUnc melior sese Pallas sacravit Olivæ;
Si sacrata olim Palladi Oliva fuit.

Aliud.

2. Fulmine qui Paulum, Eloquii sed flumine sacri
Aurea Ioannis qui simul ora refert,
Par huic Orator sit Palladi; Pallas Olivæ
Par exornando vix erit ipsa, reor.

Aliud.

In eundem Sapientissimum Virum,
cujus Opera perpetuò volutant
Veneti Senatores.

3. Dum Pallas Venetorum oculis oracula cernit
Usurpata Patrum, Maxime Oliva, tua,
Quantus hic est, dixit, cujus præcepta doceri
Gaudent, qui Europæ fata regunt, Proceres?
Huic nostri juvat ingenii monumenta dicare:
Et fuit hoc dignum Pallade consilium.

Aliud.

Aliud.

4. Pallade quis melius laudes cognoscit Olivæ?
Ergo ex te, Virgo, quærere pauca libet.
Divinæ quæ laus Oleæ te allexerit, illi
Ingenii offerres ut monumenta tui?
Stirpis an eximiæ decora inclyta? an ultima terræ
Quos tendit ramos ad latera, & pelagi?
An, quo contingit Cælestia Sydera, vertex?
An quæ aliis serta, & balsama suppeditat?
Hujus decerpunt faustam de fronde coronam,
Qui cum Rege ineunt fœdera Sydereo.
Quæ parit hæc Arbor, stygia caligine mersis
Suevere æternum balsama ferre diem:
Atque laboranti lethali vulnere cordi
Cælestem hæc oleo detulit Arbor opem.
Quæ reliquas vincat laudes, edissere, Pallas?
Unica nam sese hæc vincere Oliva potest.

Aliud.

5. Quòd Divina sibi Sapientia legit Olivam,
Quem Cæli donis omnibus imbueret,
Prisca, Oleam, dicunt Secla arrisisse Minervæ.
Mentitur quanvis fabula, vera docet.
Hinc melior Pallas, falsi sub imagine verum
Dum videt, Ingenium sacrat, Oliva, tibi.



Aliud.

Aliud.

6. Ut docta Olivæ consecrares munera,
Ipsa tibi Pallas dixit? Ipsa at Pallas es.

In idem Opus Sapientissimo Viro consecratum.

7. Sapientiæ argumenta plurima hæc mundo
Dedit suæ Virago: nec ègo postremum
Hoc arbitror, quod Principi illa Sapientum
Dicavit animi nobilem sui Partum.

Aliud.

8. Ergo vel Pallas magnum veneratur Olivam,
Quem ventura olim secula cuncta colent?

Aliud.

9. Hæc Fœminarum est Virgo prodigium, ut Virûm
Prodigium Oliva est, Ingenj fœtum sui
Cui consecravit Helena. Ut hæc Virgo sapit!
Haud legere melius potuit, haud melius legi.



Aliud.

10. Dodonæ Quercum fundens oracula Oliva
Exuperat, Laurum & vincit Apollineam.
Illius eloquium mundus miratur: eidem
Hinc melior Pallas devovet ingenium.

Aliud.

In idem Opus ab Helena editum, & alteram Helenam Homeri versibus celebratam.

11. Ledææ pariunt aliena Volumina Famam,
Huic sua. Quæ melius vivet in ore virûm;

Aliud.

12. Si Venetos fermè Proceres stirps Regibus æquat,
Reginis par est nobilitas Helenæ:
Hæc animi monumenta sui tibi sacrat, Oliva,
Cui pariter magnæ est nobilitatis honor:
Non semel Heroes, quorum es de sanguine cretus,
Imperio Patriam continuere suo.
Hinc Regale Helenæ sunt docta volumina munus,
Quod Regum exhibeant, excipiantq; manus.

He-

Helenæ cum Carneliis Heroibus Comparatio.

13. Heroum vincis Populum, Cornelia, quorum
Ducis ab egregio sanguine grande decus.
Odrysios armis illi fregere Tyrannos;
Classibus at freti, præsidiisque virûm.
Sed tu Palladiam subijsti interrita arenam,
Uicisti innumeros fœmina & una viros.
Nec rarò Sorti debetur bellica laurus:
Nil Sorti debet laus tua, nil sociis.

In ejusdem Ingenium, & Castimoniam.

14. Mortali exemptæ quoniam sunt carcere, Mentes
Secreta agnorunt omnia, Sydereæ:
Te penè exuvjis mortalibus eximit alma
Uirginitas; hinc mens est tibi Syderea.

In eandem Doctissimam Virginem.

15. Frangeret ingenij ut fasces, fastumque virilis,
Hanc Natura Uiris omnibus opposuit.



Ea-

Eadem Helenæ Lacœnæ præfertur.


16. Mœonio haud decuit celebrari a Uate Lacænam:
Dignus, qui hanc Helenam pangeret, ille fuit.
Par fuit a cæco celebrari vate Lacænam:
Qui laudet Uenetam, haud lumine captus erit.

Aliud.

17. Flevit Alexander, tumulum cum vidit Achillis,
Quem tuba Mœonii Vatis ad aſtra tulit:
O fortunatum, dixit, quem ſubtrahit umbris
Æterni Vatis gloria tænariis.
Ledææ hæc tumulo inſultaret Virgo; ſuperſtes
Perpetuò meritis namque erit illa ſuis.
Vatibus haud eget hæc Helene, ſed quærere Vates
Ex illa debent nomen, & ingenium.

Aliud.

18. Argolici vitam Vates tribuere Lacænæ:
Vatibus hæc poterit ſed dare Virgo ſuis.



In

In eandem Helenam,
A qua monstratos fuisse Priamo Duces
Græcos narrat Homerus.

19. Argolicos Priamo Reges monstrante Lacæna;
Dardanios fertur conticuisse Duces.
Attoniti Sophiæ Proceres pendere feruntur,
Naturæ fontes te reserante Sacros:
Et pandente tui Divina arcana Tonantis,
Et quos castra Erebi contremuere, Duces.
Disputante de Deo, & de Angelis.

In eandem Helenam.

20. Mendaces Helenæ laudes augete Poetæ:
Ad Venetæ plausus sufficit Historicus.

Aliud.

21. Probrosus Ledææ ortus, probrosa per æquor
Est fuga, seu Theseum, seu Paridem sequitur.
Nec formæ laudandus honor, quæ Pergama flammis
Involvit, Grajos perdidit atque suos.
Hæc Asiæ fax Tisiphone, Europæque flagrantis,
Divino Vatum fulgeat ingenio?
Aonidum castos infamis adultera plausus
Si referat, castas quis putet Aonides?

Aliud.

22. Musarum posthac maculas delebit Apollo,
Si Venetam cantu tollat ad astra Helenam.
Regius huic ortus. Quis te, Cornelia, plausu
Gens possit, Patriæ quis celebrare Duces?

M Ter-

Tercentum fluxere anni, Cornelius ex quo
Supremo Venetis præfuit Imperio.
Quis Martis decora, & laudes ornare togatas?
Quis dextræ, & cordis fœdera clara queat?
Atque tuas, Helena, æquabit quis carmine dotes?
Sive animi florem concinat innocui?
Sive tui canat ingenii super astra volatum,
Sive ornet radios indolis eximiæ?
Si seges est, ubi Troja fuit; regnabit in undis
Perpetuò Adriaci Urbs Arbitra Virgo Maris.

Aliud.

23. Ferales Trojæ flammas Ledæa: perennem
Lucem Helene Patriæ detulit ista suæ.

De Helena Cornelia Ad Apollinem.

24. Aggredior quoties Helenam cantare, coercens
His me, Phœbe, soles increpuisse notis.
Deteris eximias tenui cur carmine laudes?
Par Helenæ meritis vix lyra nostra foret.
Ipsa súas tantùm celebrare Poetria dotes
Possit, cui decorat laurea nostra comas.

Judicium Paridis.

25. Si Paris hanc Helenam prope Pallada fortè videret,
Arbitrio Paridis Cypria victa foret.

De

De hac incomparabili Virgine certamen.

26. Astræa, & Pallas certasse, Novemque Sorores
Dicuntur; pugnæ causa Virago fuit.
Illius excolere ingenium nam quælibet ambit,
Atque illi gazas exhibuisse suas.
Causarum Pallas cæcos evolvere nexus,
Naturæ sacros & reserare sinus,
Astrorum cursus, atque ipsius abdita Cæli
Arcana in tenebris lucis inoccidua.
Sed mentem cælo delapsa Astræa capacem
Pontificum, & Regum jura docere cupit.
Nectare Castalio certant lactare Camœnæ,
Et pulcher doctas ambitus urit aquas.
Arbitra sed pugnæ risit, complexaque Divas,
Officiat, dixit, cur mihi vester amor?
Fœdus inite, Deæ; cunctas mihi namque per artes
Excolere ingenuas pectora, mente sedet.
Plauserunt Divæ, & blandam duxere choream,
Perpetuò hæserunt & comites Helenæ.

Adriæ Plausus.

27. Quà latet æquorei genitor sub rupibus antri
Adria, fronde caput cinctus arundinea,
Audiit, exhibuit tibi quos, Cornelia, plausus
Patria, & exultans talia verba dedit.
Quæ Tybridi, Eurotæ, Xantho, quæ fœmina, nostræ
Quæ primas Helenæ haud deferat, ulla fuit?

Ad Virgilium.
De Helena.

28. Haud, Vatum Princeps, varium, & mutabile ſemper
Fœmina: non novit docta vices Helena.

In ejuſdem Vatis ſententiam.

29. Fœmineum inſtabile ingeniũ eſt? Sapientia, ſemper
Docta tuis Helene pendet ab uberibus.

In Helenam
De fœminea inconſtantia triumphantem.

30. Perpetuo addicit ſtudio noctesque, dieſque
Docta Helene conſtans, propoſitique tenax.
Vt Veneta Vrbs ſuper inſtabiles mirabilis undas,
Stas Helene ſupra fœmineum ingenium.

Præfertur Helenæ Argivæ.

31. Si Ledæa Helena Europamque, Aſiamque duello
Miſcuit, hæc lites ſuſcitat ingenii.

Aliud.

32. Et, ſi caſta minus foret hæc, ad prælia mundum,
Tantum illi præſtat, digna movere fuit.

Aliud.

Aliud.

33. Ledæam si Helenam excoluit Venus, hanc sibi Pallas
Eligit, & donis imbuit alma suis.

Aliud.

34. Quantùm animi præstant dotes formæ oris inani,
Ledææ tantùm famam Helenæ hæc superat.

Aliud.

35. Quin forma eximia, & pudor, & miracula mentis
Si solam vincunt purpuram, & oris ebur;
Par est a Veneta ut vincatur fama Lacænæ,
Major & hanc Uatum plausus ad astra ferat.

De Helena Cornelia.
Ad Palladem.

36. Si te inter Divas retulit Sapientia, Pallas,
Te major posthac audiet hæc Helena:
Cui formæ diuinus honor, diviña pudici
Majestas oris, cordaque digna Deo:
Cui castum omnigena exornat Sapientia pectus,
Hanc doctrinarum quis neget esse Deam?

In ejusdem Virginis
Eximium Patrem.

37. Pallada te dicunt omnes, studioque juvandi
Insignem Patrem quis negat esse Jovem?

Respicitur ad dictum Divi Augustini insultantis Ethnicis, eò quòd inter sydera locum Venus habeat, Minerva non habeat.

Ad Helenam.

38. Si te prisca olim peperissent secula, Pallas
Cępisset stellas inter habere locum.

Ad eandem.

39. Est tibi nobilitas Iunonis, forma Diones:
Est pudor, & doctæ Palladis Ingenium.

De ejusdem Helenæ Corneliæ Eloquentia.

40. Facundos olim peperit Cornelia Gracchos;
Hæc est eloquio prodigiosa suo.

In eandem.

41. Pugnarunt Ueneti Regnorum in mille Tyrannos:
Pugnat in innumeros fœmina & una viros.



In

In ejusdem
Prodigiosam Scientiam.

42. Attonito semper Veneti miracula mundo
Ostentare armis, ingeniove solent.

In eandem
De universa Theologia, & præsertim
de Deo disputantem.

43. Esse Deum, quamvis cessarent cætera, docta
Constaret magno e Virginis ingenio.

De eadem Virgine
Divini Verbi Incarnationem
propugnante.

44. Virginis in gremio sumpsit Sapientia corpus:
Tunc sapiens didicit Virginis esse pudor.

Ad eandem.
De Angelis disserentem.

45. Panditur a te dum Mentis natura Beatæ,
Lapsa ex Aligerum crederis esse choro.



In ejusdem disputationes
De Justitia.

46. Uirginis Astrææ, Uirgo, dum jura tueris,
Ipsa Astræa tuo ex ore locuta fuit.

In eandem Helenam
Præstantissimi sui P*atris decus,*
& delicias.

47. Tormentum capitis Patri fuit altera Pallas:
Hæc est vita suo, deliciumquæ Patri.

Aliud in illud:
Gloria P*atris filius sapiens.*

48. Gloria si Patris sapiens est filius, an non
Gloria, tam sapiens filia, major erit?

De eadem.
In Neptunum olim hostem
P*alladis.*

49. Neptuni est Veneta Urbs: aliā sua in urbe Minervā,
Infensæ opponat quam tibi, Pallas, habet.

In

In eandem
Venetorum P*alladem*.

50. Dum pacis florent oleæ, florere Minervam
Par fuit: æternùm floreat hæc olea.

In eandem
Muliebris ingenii P*hœnicem*.

51. Si fuit ingenii Phœnix aliquando virilis
Picus, fœminei hanc arbitror esse chori.

Venetiæ Athenis præferuntur.

52. Doctrinâ posthac Veneta Vrbs superabit Athenas,
Cui sua fert majus docta Minerva decus.

Mirabilis Helenæ P*atria præfertur*
Trojæ, qua digressus
Antenor Venetorum D*ux*.

53. Dardaniæ Veneta Vrbs genus alto e sanguine ducit:
Olli Helena excidium, huic laurea serta tulit.



De

De Castore, & Polluce,
Spartanæ Helenæ fratribus.

54. Si Ledææ Helenæ sunt versi in sydera fratres:
Hæc ipsa est Sydus, Phœbus & est Helena.

Ad Helenam Corneliam.
Cujus ductum sequantur Argonautæ Sapientiæ,
Spretis Lacænæ Helenæ fratribus.

55. Aurea qui quærunt doctrinæ vellera, lucem
De te, contempto Castore, Virgo, petent.

Ad Helenam Corneliam.

56. Nec quarta es Charitum, decima es nec Musa, sed (omnium
In te Musarum sunt decora, & Charitum.

De eadem.

57. Quæ Paride olim certarunt sub Iudice formæ,
Divarum laudes hæc habet una trium.

In ejusdem.
Cæleste Ingenium.

58. Addere te si olim comitem dignabere Musis,
Diceris posthac, arbitror, Uranie.

Ad

Ad Romam
De eadem Helena.

59. Nulla in laude tibi Veneta Urbs est, Roma, secūda;
At quæ unquam talis fœmina in Urbe fuit?
Cogitur Oceano quantum decedere Tybris,
Tantùm Helenæ quævis fœmina Romulea.

Aliud.

60. A Venetis gaudet per te, Cornelia, vinci
Roma; tuum Latia nam fluit Urbe genus.

Ejusdem Helenæ
Cum sua Urbe comparatio.

61. Regina Adriaci Virgo te Virgine gaudet:
Prodigium Urbium ea est, fœminei ipsa chori.

De eadem Helena.

62. Ut natura daret specimen, quid fœmina posset,
Edidit hanc: partum vidit, & obstupuit.

In Helenam
Viros in erudito certamine superantem.

63. Erudiat quod docta viros hæc fœmina, quisquam
Miratur? Semper fœmina nos docuit.
Namque Minerva Viros melioribus artibus omnes
Imbuit, egregius Pieridumque Chorus.

Ad eandem Helenam.

64. Quamvis magna tuæ narret miracula mentis,
Imminuit laudes invida fama tuas.

In Gentilitium Helenæ Insigne,
Quod aureo, & viridi colore distinguitur.

65. Æthere Sol est, qui Parnaſi in vertice Apollo:
In Monte huic Viridans, Aureus Axe color.
Sol Charitum es, Virgo, Muſis dominaris Apollo;
Hinc tua condecorat ſtemmata uterque color.

Ad eandem Helenam
Omnibus humanis, & divinis dotibus
illuſtrem.

66. Exhibet humanas Viridis color, inclyta Virgo,
Aureus æthereas pingit opes animi.

In idem Inſigne.

67. Qui Gentilitium pingunt tibi ſtemma colores,
Dant, Helene, cordis regia ſigna tui.
Spem decorum ſignat Viridis, Remque Aureus: ipſæ
Sunt Res, ac Spes in te, inclyta Virgo, ſimul.



Ad

Aliud
In idem Insigne.

68. Ver laudum signat Viridis color, Aureus Æstum:
Flore ipso annorum Messis adulta viget.

Ad Helenam,
Matheseos scientiâ ornatam.

69. Flores arte, Syracusius qua vertere Terras
In gyrum voluit, & Maria alta Senex:
Et melius præstare potes; nam te super Orbem
Evehit, edoctus tendere ad Astra, Pudor.

Adriæ Concio
Ad suas Nymphas
De Helena.

70. Vadite, quà Rhodanus secat arva, & Bætis, & Ister,
Æquoreis Nymphis Adria lætus ait:
Cantu Helenam celebrate meam: Tritonis anheli
Concha tuas æquet, garrula Fama, tubas.

De Helena Cornelia
Hujusce Seculi Prodigio.

71. Prodigium est Helene decorans hæc secula, quodq;
Omnia concelebrent Secula Prodigium.

In-

In Cœlestem Helenæ Indolem.

72. Flos animi innocui, pudibunda modestia frontis,
Mentibus exæquant Sydereis Helenam.

In ejusdem vitæ integritatem, & eximiam sapientiam, quæ penè divinitus infusa videtur.

73. Prodigiosa Helenæ est doctrina? At moribus illa
Hæc etiam Sanctis munera promeruit.

In Helenam Corneliam Venetorum Palladem. Lusus in aliam Minervam, quæ nata dicitur ex cerebro Jovis.

74. E costa formata olim fuit Eva virili.
Quis negèt hanc ortam Pallada de Capite?

In ejusdem præcocem sapientiam.

75. Tanta Helenæ teneris sapientia fulget in annis?
Vix orta in lucem Pallas adulta fuit.
Palladem adulta ætate natam fabulantur Poetæ.

Jovis, & Neptuni de Helena certamen.

76. Cum Jove Neptunus fertur certasse: superbus
Pallade erat genitor Jupiter, atque Helena.
Pallas, & Helena Jovis filiæ sunt habitæ.

Cui

Cui Neptunus ait: Veneta est mihi Virgo, Minervam
Quæ simul, atque Helenam, dotibus exuperat.

In Helenam Corneliam.

77. Instituit pro Helena Cypris cum Pallade pugnam.
Nunc spõdere Helenam, & Pallada, idem fuerit.

I*n ejusdem modestissimam formam.*

78. Candida cælestis rapit alta ad sydera vultus
Purpura, quæque sacris lux micat ex oculis.

I*n eruditam illius pugnam.*

79. Fulminei ad ripas quæ Thermodoontis Amazon
In pavidos tonuit perniciosa Viros,
Adriaci decertanti prope littora Ponti
Concedit palmam, docta Minerva, tibi.
Quantùm animus vincit dextram, victoria tantùm
Ingeniosa tuum, magne Gradive, decus.

I*n ejusdem egregiam Poesim.*

80. Qui te non laudat Vates, non ille Camœnas
Exornat; Musas namque, Helena, æquiparas.

In

In ejusdem,
quæ omnem commendationem superant, dotes.

81. Qui te commendat, Vates nequit esse: Poetæ
Augent, sed laudes deterit ille tuas.

De Adriæ Nymphis
Helenæ plaudentibus.

82. Vitales Helene cum primùm in luminis auras
Prodiit, æquoreæ subsiliere Deæ:
Quæque tuos cursu exercent, Pater Adria, fluctus,
Quæ Tybrim, & Bœtim, quæque secant Ligerim;
Namque animo sensere decus, quod patria magno
Urbs trahet egregiæ filiæ ab ingenio.

De Adriæ nomine.

83. Adria ni Superi pelagi jam nomen haberet,
Duceret, ex quo Helena est illius in gremio.
Nam tanto tumidus partu Maria omnia supra
Tollitur, Urbs Urbes ut superat Veneta.

In mirabilem Helenæ Patriam.

84. Vincere Naturam Veneta Vrbs consuevit,& ipsam
Naturam hinc Helene vincere docta potest.



In

In eandem Helenam ingenio volantem.

85. Te quanvis ſuper Aſtra ferat, poterit tibi, Virgo,
Nullus adulari; nam ſuper Aſtra volas.

Helena Ingeniorum Phœnix.

86. Aſſyrius raró Italiæ ſe præbuit ales;
Phœnicem Mundo ſed parit Italia.

Aliud.

87. Secula nomen habent: Helene queis venit in auras,
Phœnicis dici ſecula poſſe, reor.

Lucretiæ Nomen
Helenæ Corneliæ fuiſſe latuit Authorem,
dum alia Epigrammata ſcriberet.

88. Multa feror de te ſcripſiſſe Epigrammata, nomen
Si nec cognoram, docta Virago, tuum?

Aliud.

89. Quod Lucretia cederet pudori
Palmam, Virgo, tuo, probè ſciebam;
Ignotum mihi ſed fuiſſe miror,
Quod Lucretia & ipſa dicereris.

In idem Lucretiæ Nomen.

90. Ex Urbe ejecit Lucretia casta Superbos,
Namque ejus Brutos egit ad arma cruor.
Ex Orbe ast omnes, Lucretia Virgo, Superbos
Ejicis, aut saltem detumuisse doces.
Nam Generis, Formæ, Ingenii vel dote Superbus,
Qui tua suspexit lumina, nullus erit.

Aliud.

91. Non hæc Tarquinios metuit Lucretia Reges;
Ipsa Superborum at subruit Imperium.

Aliud.

92. Quòd frustra abjecit temerato corpore vitam,
Majori & scelere in funera sponte ruit,
Cur Lucretia sit speculum Romana pudoris?
An Stygiis maculas abluit illa vadis?
Forma pudicitiæ Veneta est Lucretia: formam
Ex illa posthac secula cuncta petent.

In utrumque Helenæ, & Lucretiæ nomen.

93. Formâ Helena es, plusquam Lucretia casta Pudore;
Hinc de Fonte Sacro nomen utrumque trahis.

In

In eandem Lucretiam
Palladio in Regno dominantem.

94. Si Reges pro te pepulit, Lucretia, Brutus;
Palladio hæc omnes pellit ab Imperio.

In *Helenæ*, & *Lucretiæ nomen*.

95. An non instituunt Helena, & Lucretia pugnam?
Hæc casta, impuris moribus illa fuit:
In te ineunt fœdus; nam, quæ pugnare videntur,
Non sine prodigio consociare, tuum est.
Canities mentis pugnat, juvenilis & ætas;
Nec rarò pugnant Forma, Pudorque simul:
Pugnant, multiplici quæ flumine pectus inundant,
Doctrinæ; alterius deterit altera opes.
Excelsum Ingenium, ac demissa Modestia frontis:
Indolis augustæ lux, pavidusque rubor:
Hæc in te miro conspirant fœdere, Virgo.
An non te magnum dixero Prodigium?

In *Lucretiam Romanam*
Divi Augustini Dilemma.

96. Insonti sibi si peperit Lucretia lethum,
Flagitium admisit majus adulterio.
Assensum Arunti si præbuit, aurea Famæ
Cur ergo immeritam buccina ad Astra ferat?
Prodigium formæ Venetam, Sanctiq; Pudoris,
Quam pro Romana, Fama, loquaris habes.

Aliud in Lucretiam.

97. Libertas Romana tuo, Lucretia, fato,
Ex Urbe exactis Regibus orta fuit:
Libera ni Patria esset, libertatis amorem
Hæc potuit Patriam Virgo docere suam;
Namque exosa virum est, legesque exosa jugales:
Illius & nulli subditur ingenium.

In Helenam Lucretiam Corneliam Græcæ Linguæ peritissimam.

98. Eloqueris græcè, mediis ceu nata Mycenis.
Est tibi Grajugenûm Copia, & Ingenium.

Incomparabili Virgini Helenæ Lucretiæ Corneliæ hæc Epigrammata devovemus. Parodia ex Catullo.

99. Disertissima Virgo fœminarum,
Quot sunt, quotque fuere, quotque famâ
Illustres aliis erunt in annis,
Tuis plaudere laureis coronis
Ignotus tibi, cognitusque nulli,
Gestit pessimus omnium Poeta,
Tantò pessimus omnium Poeta,
Quantò tu optima es omnium Camœna.



He-

Helenæ Corneliæ Venetorum Palladi
Centum hæc Epigrammata
consecramus.

100. Secula si nostram vidissent prisca Minervam,
Grex illi addictus procubuisset humi.
Illius exundans Hecatombe haud imbuit aras?
Centum illam saltem carmina ad Astra ferant.



EPIGRAMMATUM
LIBER QUINTUS.
De variis, & plerumque Sacris, Argumentis.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

Eximiam tandem Virtutem

D. ANNIBALIS FRATRIS SUI FILII ORNANTI

Dum instat Virginei Partus Dies.

COnferre optabant Sors, & Natura, sed Ostrum
    Annibali Virtus tantùm operosa dedit.
Hæc metam post Undecimum vix attigit annum,
    Virginei Partus approperante Die.
Multiplici Virtus tulerat certamine palmas:
    Innumeras Sanctus Patruus esse jubet.
Post has totius votis tandem annuit Orbis:
    Deque illo lucem Purpura Sacra refert.
Virginei quædam intueor vestigia Partus.
    Nil in Te humanum est, dum paris, Alme Pater.

Mor-

Mortalium, Cælitumque Gaudium, cum ornatus est Purpureo Galero

Eminentissimus, & Reverendissimus Princeps

ANNIBAL CARDINALIS ALBANUS

Die consecrata

Sanctis Hilario, & Felici.

QUondã Odium Italiæ Pœnus fuit Annibal; at nunc
Annibal alter adest Urbis, & Orbis Amor.
Huic dilatus honor torquebat publica vota,
Communesque Aulæ per duo lustra preces.
Post Sanctum ac tandem Patruum regnare coactum
Undecimus totum flexerat Annus iter.
Post exantlatos dignos Heroe labores,
Quos Tybris in Cælum, Danubiusque tulit,
Instabant cum Virginei Solemnia Partus,
Decreta Eximio Prœmia sunt Juveni.
Exultans plausit Roma, atque Europa: negare
Promeritum Invidia haud ullius ausa fuit.
Ipsa etiam Annibalis plauserunt Astra Triumpho,
Purpurei reducem cum coluere Patres.
Nominibus quandoque insunt Faustæ Omina Sortis.
Felici, atque Hilari sacra erat illa Dies.
Lux Hilaris nam semper erit, Felixque, Galero
Annibalis meritæ qua rubuere comæ.



DEIPARA.

Pulchra ut Luna.

Subjectam pedibus Lunam cur exprimis ore?
Nam te ipsam infra te dejicis, Alma Parens.

Electa ut Sol.

Eligit, ex omni prohibet quos crimine Numen.
Hac ferme æquaris dote, Virago, Deo.

Sicut Aurora consurgens.

Pingeris Auroræ radiis, pulcherrima Virgo;
Candor enim, & roseus pingit utramque Pudor.

Terribilis ut Castrorum acies ordinata.

Castra repræsentas animo, mitissima Virgo?
Ast Exercituum es Numinis ipsa Parens.

Pulchra ut Luna, Electa ut Sol, Terribilis ut Castrorum acies ordinata.

Est Speculum Solis, formâ cum Luna superbit:
Tu Natum Pulchra ut Luna, Virago, refers.
Auroram, Solemque simul, Virgo, exprimis. Illam
Sol instans decorat, par & utrique nitor.
Cælitibus Sol appares, es fulmen in arces
Tartareas: contra has martia castra geris.

De

De Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione.

Aurora exoriens, quid Sol vehat, indicat Orbi,
Lucis flore novum pingere docta diem.
Virgo præit Sobolem, ceu Solem Aurora, nec ullus
Solis inoccidui denigrat ora color.
Non ergo Mariam violavit ſpuma colubri,
Qua Patrum in natos funditur atra lues.
Nam maculis primos ſi Aurora notaverit ortus,
Nuntiat atratum Solis adeſſe jubar.

Aliud.

Eſt uterus Matris tibi, Virgo, animata palęſtra,
Qua Stygii obtruncas livida Monſtra Lacûs.
Tænarii Mundum cohibent dum vincla Tyranni,
Servire indocilis vincula nulla ſubis.
Excipient tua captivum quia viſcera Numen,
Ferre nequis victo a Numinis hoſte jugum.

Aliud.

Vivere cum primùm cœpit, cœpere triumphi,
Preſſit avernalem nam pede Virgo Canem.
Illam nec potuit commune afflare venenum,
Quo ſobolem perimit poſt paritura parens.
Et magis arriſit vitæ hæc Aurora Tonanti,
Innumeræ Gentis quàm cumulata dies.
Prima gigantęi hæc eſſent veſtigia curſus,
Poſſet more hominum creſcere ſi ipſe Deus.

Aliud

Aliud.

Quem pedibus, Virgo, Coluber, regalibus urges,
In tua sulphuream fuderat ora Stygem,
Te quoque primævi conatus lædere Patris
Crimine, mortales quod necat ante diem.
Sed repulit sacros allambens Luna cothurnos
Virus, quod Serpens faucibus evomuit.
Tunc primùm maculis rubuerunt cornua Phœbes;
Causa tamen Soli quas facit esse pares.

Aliud.

Sydereæ ut primùm Virgo trahit ordia lucis,
Frangit avernalis lurida Monstra Lacûs.
Ira placet, livorque Erebi; Matrem esse Tonantis
Scilicet, a qua sic vincitur, ira probat.

Templum Deiparæ à Gratiis instauratur, eò quòd ægrotum Apoplexiâ laborantem eadem Virgo ad salutem revocaverit.

Squalor abest, Templi facies antiqua novatur,
Pulchrior exoritur forma, decensque nitor,
Quòd mentis stupor attonitæ, ac torpentia membra
Senserunt vires, aurea Virgo, tuas.
Munera cessantis dextræ stupor urget abactus,
Et movet artifices dædala ad arma viros.
Templa novata nitent: sua tellus dona reponit
Reginæ, nomen cui dedit Alma Charis.

At

At si Virgineos Templis numerare favores,
Atque aris grates solvere vellet humus,
Insessa innumeris Templis haud machina Mundi
Sufficeret, quamquam nil, nisi Templa, foret.

In Imaginem Beatissimæ Virginis Montium verno tempore in Fœno repertam.

Ver erat, æternis cum terra emersit ab umbris,
Et juvenis fulsit regia celsa Poli.
Flora colorabat campos, cum venit in auras
Educta ex umbris Virginis Effigies.
Par Mundo, Mariæque Ortus, Pueroque Tonanti:
Hunc Fœnum, Antra, Chaos dant, Tenebræq; diem.
Pulchrius an ver explicuit mortalibus annum,
Dum terram, an quando Virginis ora dedit?
Tunc fulsere Dei vestigia credita terris,
Pulchior at Virgo fulsit Imago Dei.
Omnia ver illud peperit: nunc omnibus una
Par terris Virgo, syderibusque datur.

In solennem Supplicationem, qua Bononiæ defertur Imago Deiparæ septem doloribus cruciatæ.

Diva, triumphali quam docta Bononia pompa
Regia deducit per fora, perque vias,
Qui tua transadigunt septeni corda mucrones?
Nigra quid in mœsta nubila fronte sedent?
Non unquam tristi reduces Capitolia vultu
Prisca olim vidit scandere Roma duces.
Vulnera nunc primùm regnant: dolor ipse triumphat,
Qnod pompæ haud vidit terra superba genus.

In

In cælo dolor exultat, mortalis in astris
    Mutatur risu lachryma perpetuo.
Si dolor hic, lachrymæque, Bononia docta, triumphant,
    An non hæc magnum Urbs Ætheris instar habet?

In Herodem Infantium interfectorem.

Divini Stella Herodem prænuntia Solis
    Exagitat: Reges consulit, & Solymam.
O Regum probrum, ac Regni funeste Cometes,
    Stragem portendens, exitiumque tuis!
Ut Sydus fulges Solio sublime superbo,
    Cum terræ vilis sis vapor astra petens.
Crinita ut fax innocuo splendere videris
    Lumine; at a flammis ureris ipse tuis.
Frustra Orbi infausta minitaris funera luce;
    Ignea nam rabies te necat ante alios.

Euntes ad Præsepe Reges præcedit Stella, non ab eodem redeuntes.

Prævia quæ Reges Bethlæum duxit ad antrum,
    Stella facem pressit, cum rediere domum.
Munere cur fungi renuisti sydus amico?
    A Christo nullum sydus abire docet.



Prodigia in Morte Reparatoris Nostri.

Sol, qui Mundi Oculus, radiis lachrymare cruentis,
Atrato & pavidum syrmate conde jubar.
Præproperæ lucem nocti ne suffice, Luna;
Decolor Astrorum labere ab axe cohors.
Mugiat insolito tellus concussa tremore:
Qui te, atque astra regit, de trabe pendet Atlas.
Marmore corda rigent? Nativum oblita rigorem
Saxa dolete: pio ferveat igne silex.
Fons aret Vitæ? Viduata cadavera vitâ
Immensus valeat rursum animare dolor.
Authori confusa suo Natura parentet,
Everti Mundum quo pereunte decet.

Jussus Author in Latii linguam transferre sequentia duo Eminentissimi Principis Carmina:

Dentro a' Nembi codardi
Che fanno in Ciel della Vendetta i dardi?

Multiplicem illorum versionem statim effudit.

Nec Cælo ingeminant ignes, nec tela trisulca
Ignavi jaculantur, habent si fulmina, nimbi?

Vel.

Vel.

Ignea non rapiunt per Cælum fulmina cursum,
Ultrix nec Cæli conficit ira reos?

Vel.

Torpetis Nimbi? Non torques fulmina, Cælum?
Sopitum Impietas arguet esse Deum.

Vel.

Impia dum noctem metuit Judæa perennem,
Crebra ruant, diras & solvant tela tenebras.

Vel.

Nubibus ignavis Cælum cur fulmina lentè
Parturit? Erumpant sua tela ultura Tonantem.

Vel.

In sontes quando terras ruet igneus æther,
Cunctantur nunc ignavis si fulmina nimbis?

Vel.

Extinctum credent hostes nunc esse Tonantem,
Nubibus elisis nisi torqueat ignea tela.

Vel.

Quæ tela incendit Nemesis, sopita quiescunt?
Haud metuent posthac mortalia crimina Cælum.

Vel.

Nec Cæli tonat aula? cadentem ultura Tonantem
Ignavis non erumpunt nunc fulmina nimbis?

Vel.

Torqueat elisis nisi fulmina nubibus æther,
Isacidæ haud læsum credent, qui fulmina vibrat.

Vel.

Ignavos intra nimbos cur lenta quiescunt,
Quæ justus peperit tela trisulca furor?

Vel.

Ultoris torpent nunc tela trisulca Tonantis
Ignavos intra nimbos? Ruat igneus æther.

Vel.

Vel.

Nunc ultionis tela si lentæ stupent,
Ignava quando fulmina in terras ruent?

Vel.

Dextra licet sævo sit ligno affixa Tonantis,
Ultori e nimbo fulmina sponte ruant.

Vel.

In Axe nimbus heu moratur ignavus,
Nec ultionis tela nunc parit tandem?

Vel inverso sensu.

Purpureus sacri qui ex æthere corporis imber
Labitur, est telum. Ne fulmina torqueat Axis.

Vel.

Ultio non reseras armamentaria Cæli?
Ignavos intra nimbos nunc fulmina languent?

Vel.

Haud unquam parient torpentes fulmina nimbi,
Si lentè nunc parturiunt ultricia tela.

Vel.

Quid nimbi torpent, quid cogitat igneus axis?
Quid Nemesis languet? Quando ruet æthere fulmen?

Vel.

Immugit terra: effundit Mors victa sepultos:
Scinduntur montes. Nec torquet fulmina Cælum?

Vel.

Quæ scelera admittit, dum fulmina non rotat Axis?
Sed Cælum absolvit tectus caligine Phœbus.

D. Gregorius Thaumaturgus hærere flumina, ficcari lacus, ire montes jubet.

Terrarum prædo ripam indignatus ab alveo
    Proxima fulmineus sævit in arva Lycus.
Undantes, Gregori, compescis fluminis iras,
    Consueto & pelagum quærere calle doces.
Piscosus Lacus accendit quia jurgia fratrum,
    Litis causa tuis nutibus aret aqua.
Mox iterum latices frænas. Miramur? At ire
    Cum vidit montes, attonita unda stetit.

Aliud.

Hærentes terræ montes non ira Gigantum
    Movit, ut invisum pelleret axe Jovem.
Gregorii pietas jussit discedere montes,
    Sacrandum Templo nam tenuere locum,
Cujus ad Imperium fluvius compescuit undas,
    Ne spes agricolæ sparsa necaret aqua.
Scilicet ut montes undæ videre volantes,
    Attonitæ monstris obriguere novis.
Sunt miris fœcunda aliis miracula prima,
    Quæ haud homines tantùm, at pendula lympha (colit.



S. Ni-

S. Nicolai Myrensis Prodigiosa Infantia.

Mercurii, Venerisque die lac abnuis, Infans,
Sugere, ni solem merserit oceanus.
Vivere cùm discis, debellas Tartara. Lauro
Intexit cunas jam tibi diva Charis.
Alciden superas, manibus puerilibus hydros
A quo discerptos fabula vana canit;
Ardua namque minus palma est fregisse Dracones,
Quàm frænare animi noxia vota sui.
Prodigiosa tibi quoniam est Infantia, laudes
Infantes discunt dein celebrare tuas.
Prodigia Infantem patrasse, heroica virtus;
At divina, alios edocuisse, fuit.

De eodem Ex Græci Nominis Etymologia.

Quàm bene præclarum tibi dat Victoria Nomen,
Qui Populos, Reges, atque Acheronta domas?
Numinis imperio Lyciam dum subdis, amicas
Palmas ex hominum pectore, Dive, refers.
Dum malè succensas irato in Cæsare flammas
Extinguis, major laurea te decorat.
Tartara debellas frangens simulachra Deorum,
Arium & damnans. Omina nomen habet.

Idem tempestatem prævidet, & compescit, & Nautam extinctum ad Vitam revocat.

Fatidicis curis venturum amplecteris ævum,
Oceanum frænas, ipsaque fata domas.
Quæ majora putem portenta? E funere nautas
Quod revoces, remis qui maria alta doment?
Magnum est pellacis ponti prænosse furorem:
Majus commoto ponere jura mari.
Ingluvies pelagi sed quos exhauserat, ipsis
E pelagi nautas faucibus eripere,
Atque his mancipii in morem dare marmora remis
Pulsanda, hoc ingens Numinis instar habet.

E Sacro ejusdem Corpore mirificus liquor perpetuò manat.

Corpore, Dive, tuo manans crystallinus humor,
Ros est? Aurora at ros oriente cadit.
Perdius, & pernox e corporis æthere sacri
Labitur irrorans membra sacrata liquor.
Ambrosiam dicam, totum quæ nutriat Orbem,
Ut quæ olim Isacidas pascere sueta fuit?
At cælo gratos populos id nectar alebat:
Hoc vitam extinctis restituisse valet.
Num lac irriguo perfundens flumine Mundum,
Quod referat terris aurea secla, rear?
Nutricis quondam pro lacte, quod abnuit Infans,
Perpetuo huic Mundum fonte beare datur.

D. Mar-

D. Martinus invitos Paralyticos convaleſcere cogit.

Dum ſacro Turones repetis, Martine, triumpho,
Divus & exanimi in corpore vivit amor,
Spargit adoratum vitalia dona pheretrum,
Quod ſequitur plauſu turba canora pio.
Per te Argum cœcus, claudus nunc vincit Achillem,
Omnis & incolumi turba ſalute redit.
Quin latè Turonum tractus perlabitur omnes
Grata ſalus, pennis quam vehit almus amor.
At duo, perpetuo queis motu corporis actis
Horrida lucroſus concutit oſſa tremor,
Omnibus ingeſtæ exhorreſcunt dona ſalutis,
Emendicatas quæ minuiſſet opes,
Et fugiunt; tua ſed virtus fugientibus inſtat,
Cogit & incolumes ad ſua tecta gradi.
Auri ſacra fames cæli ſic munera temnis?
Nec tremor eſt morbi, ſtare ſed oſſa timent?
Mirer? Quæ nummi torquet veſana cupido,
Par eſt æterno corda pavore quati.


Idem Miraculorum Author prodigiosè innoteſcit.

Inſtaret miles Turonum cum barbarus urbi,
Theſauros aliò provida cura tulit:
Excepitque tui ſacro, Martine, triumpho
Offer adorati corporis exuvias:
Et, quo Germanus, jacuiſti, Dive, ſepulchro,
Si cælum pennis qui ſecat, ille jacet.
Muneribus cumulant Aram, tumulumque clientes,
Quos voti oſtendit teſſera picta reos;

Sed tua, Germani an virtus hæc dona meretur,
Cui vitam supplex debet, & obsequia?
Distrahit hæc Turonum stud.a in contraria cives
Lis, & Germanus quas bene pavit oves.
Sed leprâ exesus juvenis sacra bella diremit,
Quem tumulo hærentem repperit alma dies,
Parte alia incolumem, tibi quam, Martine, propinquam
Admovit, reliquo haud corpore pestis abit.
Mutatum ast exinde tibi latus applicat, & mox
Candore Infantis pulchrior emicuit.
Luditis, o Superi? An vobis mortalia ludus?
Certat an officiis Ætheris Aula piis?
Hospitis hinc adeo cedit Germanus honori,
Qui mage nunc Fratris nomine dignus erat.
Germanum ut Sydus veneratur Gallia. Solem,
Lumine qui Stellas obruat, esse decet.

Idem hausto veneno moriturus sibi precibus incolumitatem restituit.

Eripuit postquam Martinus funera morti,
Illius & dirum subruit imperium,
Se quoque funereis nutu revocavit ab umbris,
Cui summum attulerant hausta venena diem.
Vipereo biberat mortem cratere natantem;
At mortem in fibris enecat ille suis.
Vitam aliis donare homini est commune, Deoque:
Amplificare suam Numinis instar habet.



Idem

Idem adhuc Catecumenus Famulo suo non rarò servire consuevit.

Temperet imperio qui se multo emerat auro
 Martinus famulum, cui parat ipse dapes.
Excipit obsequio venientem, & munera servi
 Lætus obit, thalamos instruit, arma polit:
Ex illo vestes Dominus mendicat, & aurum,
 Ex illo hospitium, relliquiasque dapum.
Ascito regno generosus verna potitur,
 Munere nec segnis fungitur imperii.
Si quando motare manus dignatur heriles,
 Martinus grates solvit, & obsequia.
Erudiit Cælum Martinus, Summus Olympi
 Cui Princeps grates solvit, & obsequia.
Illius indutum dicit se munere Numtn,
 Illius exoptat pauperis instar opem.

Idem contra Idolum marmoreæ columnæ innixum e Cælo fulmen vocat.

Marmoreæ incumbunt Idola innixa columnæ,
 Ast illa ex astris diruit ignis edax.
Absolvit cælum, qui cælo hos evocat ignes
 Martlnus: mentem fulmini inesse docet.
Innocuas posthac jaculentur fulmina turres:
 Impete vel cœco tela trisulca ruant.
Innumera incassum bene spargit fulmina Cælum,
 Tam bene si hoc unum fulmen ab axe cadit.

Idem osculo Leprosum curat; & Mortuos plures ad Vitam revocat.

Lepra fugit, Martinus opem cum fortè petenti
Oscula dat, misero redditur alma salus.
Mirer, quod sacri tantùm valet halitus oris,
Vitam homini infudit si halitus omnipotens?
Nec mirer, si Divinas hominum æmula virtus
Exæquat vires, imperiumque potens?
At si, quam dederat Numen, Martine, redonans
Sæpe homini Vitam de tumulo revocas,
Mirer, si tantùm omnipotens valet halitus oris,
Dive, tui, ac per te redditur alma salus?

D. Dionysii Martyris Infantis Corpus in Divini Dionysii Areopagitæ Templum infertur.

Vivere cum primùm cœpit, cœpere triumphi:
Laurus obit cunas, mistaque palma sacras.
Fortior infante Alcide Dionysius hydros
Elidit, stygii quos vomit ira lacus.
Sera alium, Divo instaurat quem nomine, cælo
Intulit hora: breves hunc rapuere dies.
Alter Concilio Superûm, licet incola terræ,
Intererat: lapsa ex æthere scripta docent.
Hinc, unde huc venit, serò remeavit ad Axem:
At citus in Patriam tu, Puer alme, redis.
Exuviæ sed nostra tuæ cur Templa requirunt?
Namque tuæ hic Fidei credis adesse Patrem.

Cur

Cur geminum latus Corporis D. Dionysii Infantis Martyris cingant insignes Reliquiæ SS. Martyrum Parthenii, & Celerinæ.

Sydera non frustra coeunt, quæ dissita nuper
Suerant diversos ducere in axe choros.
Nec frustra Divûm coalescunt corpora in unum,
Quæ dispersa sacrâ delituere specu.
Cur ergo Infantis circumstant Martyris ossa
Parthenii Cineres, &, Celerina, tui?
Arcanis fœcunda reor cælestia semper
Nomina: non illis nostra carere putes.
Parthenos est Graiis Virgo: Celerina Latinis
A festinato tramite nomen habet.
Virgineas inferre nives cælestibus hortis
Namque, Infans, celeras sanguine purpureas,
Custodes idcirco tui, comitesque triumphi,
Parthenius cingunt, & Celerina latus.

In D. Philippi Nerii corde flagrans Amor Divinus.

Flamma velut rapidis in Cælum nititur alis,
Nec dignatur humi serpere lapsa polo:
Carcere mortali condi generosa Philippi
Mens horrens latum ad sydera quærit iter.
Inclusus terræ latebris erumpere flagrat
Sic vapor in nubes ejaculatus humum.
Sic superimpositi montis per vulnera flamma
Enceladi in Superos tela trisulca rotat.

Infringi mirer costas e pectore? Tantum
In cineres miror non abiisse rogum.

Cur D. Basilio Magni Agnomen inditum fuerit.

Regia sunt, Basili, tibi nomina: Famaque Magni
Addidit Agnomen laudibus æqua tuis.
Magnum asserta Fides, Divina Oracula Magnum
Hausta animo præstant, & reserata viris.
Magnus, seu Sacris Leges præscribis Alumnis,
Seu contra Reges astra tueris, ades.
Magnum mentis opes, dextrâ quæ concutis, arma
Majorem ostendunt: Ethnicus illa pavet:
Aris pulsa Deûm pallescunt agmina: telis
Et confossa tuis Hæresis Hydra fremit.
Una alios dixit si dos, aut altera, Magnos,
Omnis cui laus est maxima, quantus erit?
Maxima si Numen dos confluit omnis in unum,
Magnum ergo, Basili, Numinis instar habes.

Naupactæa S. Pii Quinti de Turcis Victoria.

Non hæc Naupacti miranda excrevit in undis
Laurea magnanimum cingere docta Pium.
Lactastis lachrymæ frondis victricis honorem:
Luminibus Sancti crevit adulta Patris.



D. Ca-

D. Carolus Borromæus Quadraginta Aureorum Millia uno die in pauperes erogat.

Dum matris vecors Arimaſpus viſcera terræ
Scrutatur, clauſas & malè quærit opes,
Unguibus, & roſtro, atque alis armatus in hoſtem
Auro inhians cuſtos Gryphus in ora ruat.
Audax Peruviæ ſcindit dum dextera montes,
Expilatores obrue terra tuos.
Tænariis natura aurum bene credidit umbris,
Ne purum inficiat criminis eſcâ diem.
Sed tibi, Purpurei decus immortale Senatus,
Sponte humus auriferum pandat amica ſinum.
Quoque beas inopes, Cælo tibi depluat imber;
Nam quis munificum te neget eſſe Jovem?
Aureus in pluvium deſcendit Jupiter imbrem?
Qui juvat, hunc verum dixeris eſſe Jovem.

Narratio acceptæ Gratiæ in adverſa Votivæ Tabellæ parte prope B. Aloyſii Gonzagæ Aram ab Authore appenſa.

Ex Varice erumpens me vis immenſa cruoris
Penè improviſo funere ſuſtulerat.
Erodens Ulcus, mox Cancer acerba parabat
Fata, niſi afferret Tibia ſecta moram.
Ulcus abit, Cancerque, & ab hoc ſerpente comeſus
Ante Varix. Sunt hæc munera Aloyſii,

Qui

Qui vota exuperat; nam mille pericula morbus
Dat ſuperare unus, Cancer & addit opem.
Scilicet hic niſi Crus eſſet populatus, haberet,
Quæ ſæpe in mortem panderet, ora Varix.

De breviſſima B. Aloyſii Vita.

Cæleſtem quamvis Juvenem ſibi vendicet Æther,
Cum gemina a luſtris Quinque recedit hyems;
Palmas ex Erebo numeret ſi Fama relatas,
Secula Aloyſium Quinque agitaſſe putes.

Eumdem a Conterraneis tantùm illius Vatibus celebrari poſſe.

Grandia quid tenues conemur? Tollere cantu
Quis dignè Aonio ſperet Aloyſium?
Sydereo Juveni haud tuba par erit ulla; redonet
Ni Muſis iterum Mantua Virgilios.

In D. Hilarium Pictavienſem Epiſcopum Academiæ Stabilium Tuderti Patronum.

Fortunæ quos inſtabili Rota cardine verſat,
Deliciæ hos nullæ, gaudia nulla manent.
Jucundo exultat ſed mens hilarata ſereno;
Quæ ſtabilis perſtat, propoſitique tenax.
Hos ergo, ſtabili qui nunquam ſede moventur,
Quid mirum eſt Hilaris Præſidis arma ſequi?

Aliud.

Aliud.

Quem neque ſepteno feralis terruit Hydra
Vertice, nec Regum terruit ira ferox,
Frangere quem nequiit Conſtantius, Orbis in unum
Quem conjuratus flectere non valuit,
Protegit auſpicio Stabiles, atque omine fauſto
Exemplo tales edocet eſſe ſuo.

Aliud.

Tum quoque fulmineos potuit terrere Tyrannos,
Cum procul a Patria nobilis exul agit.
Hinc ergo Patriam remeare jubetur ad Urbem,
Ne trepidos hilari terreat ore duces.
Tanta poteſt hilaris conſtantia. Perdere livor
Non valeas, Hilaris quos fovet aura Patris,

D. Monicæ Lachrymæ.

Sol Auguſtinus Sapientum: Aurora nec illi
Deeſt genitrix: Monicæ hinc lumina rore madent.
Concha ſitit lachrymas Matutæ, atq; æquora quamvis
Circumſtent, ſacras arida quærit aquas.
Unio concipitur cæleſti plurimus unda,
Regnorum pretium, Sydus & æquoreum.
Cor nati, ceu concha, bibit, quo lumina matris
Imbre fluunt: Cælum queis emat, haurit opes.
Cum tonitru fremit Aula Jovis, Conchilia partu
Æquoris ad ripas nobiliore tument.
Sic fremitus inter, mœſtæque tonitrua matris,
Unio, qui vincat Sydera, concipitur.

De

De D. Antonino Martyre præstantissimo, quem demersum in Mare Aquilæ ad littus prodigiosè tulere.

Pœnarum, Antonine, Mari demersus acerbo
Post fata in fluctus mitteris Oceani.
Te toto tumulans elemento barbarus hostis,
Grata, inquit, tibi tam magna sepulchra, reor.
Si Pharios olim tumularunt marmora Ponti,
Urna eadem Divo, perfide Lictor, erit?
An, quoniam Heroum Sol Antoninus habetur,
Ut Soli, huic tumulum præbuit alma Thetis?
Quamprimùm at Pelagi Phœbus si prodit ab undis,
Tu quoque de gremio Tethyos eriperis.
Cælestes properant Aquilæ: parcentibus urgent
Unguibus, ac reddunt corpora sacra solo.
Idæi hæc probrum raptus pulcherrima delent
Furta: in Aves Aquilis nunc dare Sceptra decet.

De Apostolorum Principe.

Tarpeji arentes lauros e fronte Tonantis
Abstrahit irridens impia sacra Petrus.
Sylva erat Urbs Erebi monstris regnata: Ferarum
Impavido stygia hæc pectore Regna subit.
Roma erat immani convulsus turbine Pontus:
Sicco tartareas is pede calcat aquas.
Quam non evertit Pyrrhus, non Annibal, Urbem
Piscator vincit: Credis adesse Deum?



A D.Fa-

A D.Famiano percussa tellus chrystallinum Fontem parit.

Squalida deserti sitiunt dum marmora collis,
Nec fontem agricolæ præbet avara silex,
Fœcundâ lapidem virgâ, Famiane, morantem
Percutis: attonito e marmore currit aqua.
Tu lachrymis urges Cælum, precibusque disertis:
Manare a lachrymis discit & unda tuis.

Tartarei Hostis formam Serpentis induti furias irridet D.Margarita.

Invadit stygius Divæ conclavia Serpens,
Nec colubri faciem, aut cornua dissimulat:
Sibilat incassum: micat igneus ore trisulco:
Perdius, & pernox irrita bella movet:
Oranti insultat: mente illa perambulat axem,
Amplexu exultans perfruiturque Dei.
Membra brevem fera carpentis nocte soporem
Nexibus innumeris implicat Anguis atrox.
Victricem infrendens crebris assultibus urget:
Haud inferre metum, perniciemque valet.
Quondã Hominũ Patri insonti haud nocuere Colubri,
Haud vesana Tygris, terribilisque Leo.
Diva, Adæ præstas. Fuit olli innoxius Anguis,
Quem peperit tellus; quem nigra Regna, tibi.



De

De D. Agatha Virgine, & Martyre.

Heu crudele nefas! Agathæ, ſcelerate Tyranne,
Ubera reſcindi e pectore ſacra jubes?
Humanæ haud certè tu ſuxiſti ubera matris,
Sed tibi lac Urſa, aut ſæva Leæna dedit.
Caucaſus aut natum de rupe ejecit in auras,
Cui fera præduro e marmore corda rigent.
At quamvis crudo rigeant tibi marmore corda,
Debueras Agathæ parcere Lictor atrox;
Hanc etenim norunt venerari culmina montis,
Sicanii terror quam colit Ætna ſoli.
Eructat quoties ferventi e gurgite ſaxa,
Flammarum & fluvio fertur in arva furens,
Et latè vaſtat campos, atque Urbibus ipſis
Horrendum exitium, & fata ſuprema parat,
Compeſcunt Agathæ tunc vela oſtenſa furorem
Horrentis Montis, tartareaſque faces,
Atque ignis curſum miranda hæc vela retorquent,
Ad montis fauces & remeare jubent,
Quam ſaxa, atque ignes Divam venerantur, & Orcus,
Huic inferre audes, dire Tyranne, necem?

De SS. tribus Martyribus Japoniæ e Societate Jeſu.

Salvete Heroes, poſtremo in limite Mundi
Queis Chriſti peperit clara trophæa Fides.
Vos primi Japonum ſacraſtis ſanguine terram.
Naſcetur veſtro e ſanguine magna ſeges.
Arbore ab infauſta pendetis; at arbore ab illa
Tutior en vobis ſemita ad aſtra datur.

Crux

Crux Cælo est propior: vobis est scala: perennis
Ad regnum Vitæ format & illa gradus.
Ite alacres; vos invitat Cælum omnibus astris:
Divina en vobis Aula reclusa patet.
Ite alacres. Video palmas ex æthere lapsas,
Aligeros video, qui diadema ferunt:
Atque vocant dulci Cæli ad capitolia cantu,
Perpetuos spondent, & sine nube dies.
Fœlices, vestrum qui Regem morte refertis;
Illum etiam affixit turba maligna Cruci.
Ullaque ne desit divinæ gloria mortis,
Transadigit vobis lancea dura latus.
Impia si extinctum transfixit lancea Regem,
Vos duplex vivos lancea sæva necat.

De D. Dorothea Virgine, & Martyre, quæ flores, & fructus cælestes Theophilo misit.

Evolat ad mortem cursu lætissima Virgo:
Ad pulchra hanc certè currere prata putes.
Ut flores tractat gladios, ac tela cruenta,
Floribus atque ipsi est gratior ensis edax.
Miratur Juvenis morienti proximus astans,
Atque inquit: Ridens horrida fata subis?
Illa refert: Nescis, quos in cælestibus hortis
Perpetuos flores, quæ aurea poma legam?
Ignoras, quas delicias mihi Sponsus in astris
Præparet? Est risus hæc mihi causa mei.
Respondet Juvenis. Si te viridaria Cæli
Excipiant, lectas mittere ab axe rosas,
Aureaque e Cælo digneris mittere poma:
Amplecti & Christi spondeo corde Fidem.
Annuit huic Virgo: simul & vernantia Florum
Munera, & Autumni ex æthere misit opes.

Ali-

Aliger hæc rutilo formosus detulit ore
 Dona: ille obstupuit munera sacra videns,
Proque Fide excipiens mortem viridaria Cæli
 Quamprimùm optavit visere ad astra volans.

De D. Romualdo.

Cur Urbes, Romualde, fugis, vultusque virorum?
 Atque ferarum inter vivere tesqua juvat?
Sylva placet, rupesque cavæ? Sed cerno ferarum
 In tecta Angelicos axe venire choros.
Nil mirum, si Sylva placet, quam tu incola, Dive,
 In pulchrum mutas ætheris hospitium.
Panduntur Cæli tibi Templa, & sacra beati
 Regni arcana vides, excipis aure melos.
Aurea contingens e terris limina Cæli
 Scala oculos hilarat prodigiosa tuos.
Exultansque tuos eniti hac semita Alumnos
 Terræ e valle vides ad juga summa poli.
Fœlices Sylvæ, quæ callem ad Sydera pandunt,
 Quæque immortales delicias pariunt.
Dulcior ambrosiâ Regum, qua vesceris, herba
 Est, atq; unda fluens, quam, Romualde, bibis.
Hanc tu non metuis misceri, Dive, veneno,
 Aurea quod tingit pocula sæpe ducum.
Herba, & Aquæ potus Centum tibi protrahit annos,
 Bisque decem? Haud vincit nectar, & ambrosiam?

De D. Apollonia Virgine, & Martyre.

Irruis in medias, Virgo fortissima, flammas,
 Sponte & pro Sponso fata suprema subis.
Quam trepidant alii, mortem tu, Diva, lacessis,
 Illius amplexus & generosa petis.

Nec

Nec jucunda placent tibi funera; sed genus optas
Horrendum mortis, quod dedit ignis atrox.
Major Divini tibi pectore fervet amoris
Ignis, quàm tortor quem tibi, Virgo, parat.
Major flamma metum valet extinxisse minoris;
Teque ideo in sævos injicis ipsa rogos.
A diro tamen, o Virgo, haud extingueris igne:
Haud mors, ad vitam transitus ille fuit.
Pertæsus vitæ veluti succendere Phœnix
Alarum motu cedrina ligna solet:
Seque super flammas aptare, ut morte renascens
Ad vitæ redeat munera grata puer.
Sic Virgo flammis, Phœnix cælestis, ab illis
Ad vitæ transis prospera fata novæ.

D. Catharinæ mors triumphalis.

Latrantem fortis Catharina triumphat Anubim,
Tænarios casto fulminat ore Deos.
Su b pede crudeles premit Heroina Tyrannos,
Tela, rotas, ignes, horrida flagra premit.
Quin etiam a dulci lactatur morte: cruore
Pro roseo, niveo lacte colorat humum.
Scilicet e proprio quæ funere nata nivali
Nascentem vitam flumine lactis alit.

De Sanctis Virginibus
Rosa a S. Maria, & Viterbiensi.

India, cui Sol, occiduas dum vergit in undas,
Fœlici pingues lumine ditat agros,
Perpetuis auri tellus pretiosa fodinis,
Quæ magna Europæ das alimenta malis:

Si te perſpicuis argentea flumina lactant
Fluctibus, inque omni littore gemma micat:
Si pulchris ridens avibus tibi pingitur aer,
Quæ Regi pennis dant diadema tuo:
Inſolitæ illuſtrant pretio ſi ſplendida lucis
Aſtra tuum noſtris invidioſa Polum,
Namque immortalis referentia ſigna Salutis
Occiduo oſtentant ſydera ab axe Crucem;
Non tamen illuſtri Florum nos lumine vincis,
India, Divinæ haud vincis odore Roſæ.
Candore hæc etiam vobis, regalia, certat,
Lilia, Sythonias vincere docta nives.
Et neutram impuro Cypris infeciſſe cruore,
Lactentes potuit nec temerare notas.
Utraque at inſeruit ſibi vepres: flagraque tractans
Virgineas pinxit ſponte cruore nives.
Purpura viva nives tinxit, cum Lilia Candor,
Et Furor innocuus conſeruere Roſis.

Aliud.

Aſt hæc non altam tollunt ad ſydera frontem
Lilia: depreſſa in valle modeſta latent.
Nam Roſa nec formæ, nec odoris laude ſuperbit,
Nec ſuus eſt illi cognitus ipſe decor;
Sponte ſed in valles dejectæ accommodat alas,
Ardentemque Roſam ad ſydera tollit Amor.
Cernis anhelantem Divini ad lumina Solis,
A quo flagrantes ebibit ore faces?
Perpetuò, viden, ut Clytiæ fœlicior igne
Obverſa Solis fronte ſequatur iter?
Hunc amat, hunc ſequitur curſu feſtina, quadrigam
Seu roſeam primum tollat ab axe jubar:
Seu medio auratum Sol igneus æthere currum

Ur-

Urgeat, & meta distet utraque dies:
Seu fessus pelagi tandem labatur in undas,
Emeritosque jugo solvere certet equos.
At, viden, ut varios Divino a Sole colores
Hauriat: haud Clytiam tantus adussit amor.
Dum Sol illustris radiis agit æthere currum,
Exultat rutilo picta colore Rosa.
Dum Sol emoritur, languet, pœnisque notatur,
Quæ Soli attulerunt aspera fata suo.
Et flagra, & spinas, atque horrida saxa Columnæ,
Nunc Rosa, quæ superat te, Granadilla, refert.

Aliud.

O amor, o vires vultum mutantis amoris!
Multiplici o forma prodigiosus amor!
O flos inscriptus Divini nomina Solis,
Divinæ inscriptus tristia signa necis!
O Cælo delapsa hortorum gloria! namque
Haud his prodigiis nostra superbit humus.
Miramur, Cælo si lapsus in aera rursus
Tollitur? Hunc Florem pondera nulla gravant.

Aliud.
de S. Rosa Viterbiensi in altum elata, dum contra Impios declamabat.

Cum Rosa Divini langueret Solis amore,
E terra exiliit sæpius astra petens,
Ebria concepti cum pectora Numinis æstu
Urgerent populos per fora, perque vias;

Namque Rosa armavit sacros in crimina dumos ;
In sontes tonuit per fora , perque vias .
Ac dum fulminea Cælesti a Rege Rebelles
Voce petit , visa est corpore ad astra rapi :
Cumque alto insistens lapidi spectatur ab unda ,
Quæ bibula orantis pendet ab ore, virûm :
En pedibus veluti magnes admotus in altum
Tollitur ipse , Rosam prosequiturque lapis .
Quem non flexissent Cæli hæc portenta protervum ?
Cæsarei furias non domuere Ducis .
Principis hunc hostem , qui Sceptra Vicaria Cæli
Torquet , fulmineo fregerat ore Rosa .
Ipsos impavida invasit Cælestis Amazon
Augustos , Latii devenerata Patrem .
Quantus in hunc Florem tunc ingruit imber ab Arcto!
Queis Aquilo infremuit turbidus ore minis !
Exitium insonti , ac tristem meditata ruinam
Tempestas Boreæ frigido ab axe ruit .
Nativo tunc vulsa solo Rosa quærere mœstum
Compulsa exilium , perfugiumque fuit .

Aliud
de illius Pugna *cum Saga* .

Extorrem sed quæ invitant Castella, salutem ,
Cumque Rosa Charitum promeruere chorum .
Sacra Fides , profugæque comes Pax alma Puellæ ,
Et Pietas urget , Relligioque latus .
Oppida nec tantùm Charites fœlicia tectis
Excepere , Rosæ quæ comitantur iter ;
Ast illi , dum propugnat fortissima Cælum ,
Militiæ dederunt amphitheatra sacra .
Saga furore , dolis, & linguâ instructa Megæræ
Contra Romuleum moverat arma Patrem ,

Cæ-

Cæsaris & partes, atque impia signa sequuta,
Horrida Avernalis buccina Regis erat.
Hanc Rosa, quam sacræ incendit fiducia causæ,
Aggreditur: cœcis obstat & illa dolis.
Prodigiis asserta Fides. Extabat in alto
Dira strues ignes ejaculata foro.
Majore huic flamma Divini percita Amoris
Insiliit saltu nil trepidante Rosa.
Nec flammæ læsere nives; at pulchrior arsit
In gelido vultus purpura sacra rogo.
Defenso victrix Cælo prodivit ab igne,
Ablutum e pelagi Sydus ut exit aquis.

Aliud de patratis ab illa Prodigiis.

Miraris portenta, Rosam quibus astra tuentur?
Ut verò ipsa aliis prodigiosa fuit!
Seu quando, nondum prima trieteride plena,
Infregit vires, o Libitina, tuas:
Atque Amitam tumuli revocavit pupula ab umbris,
Insonti primos restituitque dies:
Seu saxo contrita Ceres, permistaque lymphis,
Et clibani in niveos igne coacta globos,
Illius imperio cum floruit, & Patris iram
Elusit, miseris ferre negantis opem.
Seu quando, ut Populos cælesti afflaret odore,
E tumulo Flores protulit ipsa suo.
Ast erepta nimis properato funere terris,
Heu subitò Cælo restituenda Rosa.
Tertius huic tria lustra super cum volvitur annus,
Flos migrat in sydus, subtrahiturque solo.
Insitus areolis Cæli nunc vernat Aprlli
Perpetuo, & rutilum spargit ab axe jubar.

Illius exuvias infert Pater ipſe ſepulchro,
Conſuevit Cæli qui reſerare fores.
Nunc immortali vernant ſacra membra juventa,
Sydereum Florem nullaque lædit hyems.
Europæ dubiam tibi Flores, India, palmam
En faciunt. Cælo dignus uterque fuit.

Rocchi Gonzalez S.J. Cor Evulſum viſceribus in Dei laudes erumpit.

Solvat Gonzalez ne in laudes Numinis ora,
Corda illi e fibris barbara dextra rapit.
Numinis in laudes ſed cor de corpore vulſum
Solvitur, & patuli vulneris ora ſonant.
Quis voces cordis cordatas eſſe negabit,
Et nullum in patulo corde ſubeſſe dolum?
Dura perotanti jam cedite pectora cordi.
Ore poteſt dolus, at corde latere nequit.

Hieronyma Aſculana Religioſiſſima Fœmina moritur Anus, & Juvenis poſt mortem apparet.

Ver hominum exoritur: non tantùm floribus arva
Poſt hyemem rident, mortua vernat Anus.
Emoritur Vidua, & Virgo, Viduæque colore
Mors pingit, Virtus Virgineoque genas.



Extemporalis Ludus, quo R. P. Jacobum Cellesium S. J. Collegii Grecorum Rectorem alloquitur, qui ei fuerat Regiminis Administer.

Egregie Rector, ipse cui libens malim
Subesse semper, quàm regnare Mogoris,
Aut Ceilani Dominus, ut mihi Scazon
Jocosus adsit, imperas, cothurnatæ
Ludus Thaliæ, cum severa majestas
Gradus movere ludicram docet Musam
Iberico ritu. Arduum est opus nobis
Arare frontem, nubibusque vallare,
Supercilj arcum attollere, ut, velut Cælum
Atlantis humeri fulciunt, novus Piso
Torquere videar publicæ Rei pondus.
Ut oris haud quæsita semper arrisit
Mihi serenitas: ita carmen ampullas
Nostrum execratur. Qui Urbibus gubernandis
Pares videri gestiunt, per ambages
Rotando verba, vellicant mihi splenem.
Derideo simulacra, quæ basi egent magna:
Homines, necesse queis sit ad solum allidi,
Fulcris nisi innitantur: ut solet grallis
Egere claudus, quibus inhereat, Scazon.
Politicus ille melior est mihi semper
Visus, nitente fronte qui nihil spirat
Tumidum, aut superbum, mentis & suæ gazas
Haud bracteis incrustat. Ergo qui Scazon
Fluat peroso vitæ, & oris oracla
Phaleris tumentis? Attamen, nefas cum sit
Non obsequi, conabor in gravem Musam
Assurgere; ad inassueta namque consuesti

Mihi indolem formare munera, & curas.
Jussa exequutus Optimi Patris cœpi
Tandem brevis præesse brassicis horti,
Præesse feli, temperare Mantoi
Coqui furorem: Dextra Mentis excelsæ
Cœpi vocari, jura quæ dat Argivis,
Quos Creta ad Urbem misit, aut Cephalenûm
Insula, Zacynthus, Sparta, Macedonia, Chios,
Epirus hospita Calabri sinus, Grajo
Rituque vivens Russia, & sequens morem
Ferrata Crypta Gręcum. In hos mihi sceptra
Vicaria tribuisti: & haud semel nostrum
Pavit rigorem Grajus, atque Epirota.
Scazonta ludere ergo possumus, namque
Haud insolens est penitus in minas vultum
Caperare nobis. Optime, at mihi indulge,
Jacobe, si ex te quæro, cur placet Scazon
Præ cęteris tibi carminis sacri formis?
Non ipse gressu, aut ore fingis Hispanos,
Non intumescis unquam: amabili corda
Vultu lacessis, nutibusque blandiris:
Sirenes innatant labris, nec affectas
Magnus videri linguæ inanibus bombis.
Hispana Gravitas certè inest, Lepor Gallus
Mores tibi sed temperat: neque Candore
Germania tibi certat: Italiæ prudens
Omnisque in uno est laus. Ut olim Agrigenti
Alcmenam in unam Virginum omnium dotes
Zeusis coegit: ut Corynthium fluxit
In Æs metallum quodlibet: ut Apes flores
Populantur omnes: cuncta sic refers unus
Decora aliorum, dignus omnibus jura
Proinde populis tradere. Ast adhuc hæret
Incertus animus, cur tibi omnibus Scazon
Venustior sit carminum notis visus.
Ut quęstio solvatur, enatat tandem

De-

Democriti de latice Veritas hausta.
Vicariam cras alteri quoniam Virgam
Attribuam, ut ille quoque prohibeat Argivos
Extra chorum saltare identidem, claudus
Jubes, magister erudiat ut eum Scazon.

Inscriptio Lapidis signantis vias prope Vigontiam.

Arctoo quisquis properas huc Hospes ab axe
Emensus montes, quorum densissima sepes
Germanis Italos dirimit: Juljque relicto
Vitifero post terga Foro, campisque feracis
Tarvisii, huc recto te duxit semita calle,
Perstat adhuc ubi clara suis Vigontia quondam
Exultans Dominis, quorum fuit inclyta latè
Nobilitas. Avidis annorum at faucibus haustam
Amplius haud spectas Arcem, Turresq; Gradivo,
Bellonæque sacras; sed agros, Ceres, atque Lyæus
Quos amat: & leni quæ Tergula flumine lactat,
Pascua læta vides. Si, quà Sol prodit ab Ortu,
Instituis cursum, Ponti miraberis Urbem
Reginam Adriaci. Occiduas si tendis in oras,
Urbs Patavj, Euganeisque in collibus altera Tempe
Occurrent. Mediumque diem si quæris, in agros
Devenies, Athesis quos alluit ubere vena,
Eridanusque pater. Quacumque elegeris, Hospes,
Ire viâ, dices: Naturæ munera, terras
Quæ faciunt alias, quamvis divisa, beatas,
Italiæ collecta sinu contemplor in uno.


In

In Fulmen, quod Horariam Collegii Romani Turrim innocuo ictu perculit, Regnante Clemente Nono Pontifice Maximo.

Antiquum cernens revocari secula in aurum
 Jupiter: An Genitor sceptra reposcit? ait.
Quo regnante olim fulserunt aurea secla,
 Saturnus repetit Regna Latina pater?
Sed qua regnet in arce Deus, qui tempora flectit?
 An Domus olli Arx, quæ Tempora signat, erit?
Talia solicita secum dum mente volutat,
 Innocuam in Turrim tela trisulca vibrat.
Irrita sed cecidere. Haud Aurea Tempora tantùm
 Perstant, ast etiam Temporis indicia.

Aliud respiciens ad Bella tunc flagrantia.

Palladis addictum studiis quę machina tempus
Metitur, trahere infaustam minitata ruinam est
Saucia ab æstivi insperata fulminis ala.
Cum sua Mars habeat nunc tempora, tempora Pallas
Non habeat? Calamo pugnat sed Romula Pallas,
Vincitque assuetos Cælum tentare Gigantes.
Palladium hinc afflant tela ictu Tempus inani.



Aliud.

Aliud ludens in Raucedinem, qua diu superimposita Horologio Campana laboraverat.

Audiit ut Pallas ſtridentia murmura Nolæ,
Invitat ſua quæ Juvenes ad Regna Quirites,
Belligeris arſit flammis, & fulmina Patris
Campanæ in Turrim intorſit, renuentiaque æra
Solicitare animos ad jurgia docta Sophorum,
Grammaticæ & rixas, voluit ſubvertere telo.
Sed fata, aut ventus furibunda Pallade major,
Prçcipites aliò detorſit fulminis alas.
Hinc, quæ metitur labentia tempora, moles
Fulmine tacta fuit. Timuit vicina ruinam
Obdurati animi, & ſceleris ſibi conſcia Nola.
Ac dum fulmineum velarunt nubila Cælum,
Clangorę inſonuit lęto; ſed lumine poſtquam
Ridenti fulſit Titan, ſolvitque timores
Terrarum, in priſcum redierunt æra rigorem,
Feralîque ululant ſonitu, nubeſque tonantes
Dum vincunt ſtridore, in pœnas aſtra laceſſunt.
Æra, atque æratos animos haud fulmina mutant.

Ludus in exlex Horologii ingenium aliquando producens horas labori Scholaſtico addictas.

Quæ claudis quandoque rotis conſiſtere moles
  Sueta fugam haud volucris temporis aſſequitur,
Fulminis afflatur pennis: ex impete cladis
  Urgere ut tardum machina diſcat iter.

Aliud.

Fulmina moliris Liparæ, Uulcane, ſub antris,
Quæ peſtem claudis ſunt paritura rotis?
Infortunia venaris. Qui crure laborant,
Incipiant tua ſi tela ferire, peris.

Aliud inquirens, cur a Fulmine deletæ ſint notæ quintæ, ac ſextæ boræ nocturnæ.

Parcit diurnis Fulmen, ac duas noctis
Cur delet horas? Quinta cur nota, & ſexta,
Abolentur ex horariæ rota Turris?
Quas furva noctis, & quietis involvunt
Siparia, decet horas perire, non Sole
Claras labori deditas Minervali.
Num fulmina docent erudita, quas delent,
Subtrahere ſomno inutili duas horas?

Aliud

Nec ſatis effreno fuga temporis impete fertur,
Cui pennas addunt tela triſulca ſuas?
Sed Tempus tardas quia Fulminis increpat alas,
Intereunt caſſo vulnere tela Jovis.

Aliud.

Metitur rapidi Turris quæ Temporis horas,
Exhibet haud impar fulminibus tumulum.
Namque rotas inter pereunt quæ tela volantes,
Fortè etiam ſua poſt fata volatus aget.

Aliud

Aliud investigans, cur Fulmen innocenti ictu extinctum sit, postquam in Horologii Turrim incidit.

Fulmen mortales motura tonitrua mentes
In colles torquent, Roma superba, tuos.
Ætheris emensum campos pernicibus alis
Terrorem terris, excidiumque parat.
Ferratam at postquam linguam conspexit in alta
Temporis alatam Turre notare fugam,
Consedit furor in cineres: extinguitur ardens
Fulmen, quod sua cum fata subiret, ait.
Hæc, quæ metitur labentia tempora, lingua
Cælesti melius fulmine corda quatit.
Exprobrat hæc vilem misero, frustraque superbam
Sortem homini, hæc colles detumuisse docet.

De Calce Ænigma.

Ore nives, & ebur refero, sed filia rupis
Cum fuerim, nobis saxea corda rigent.
In me exoptatas si fortè effuderit undas
Nostro suspirans quisquis amore flagrat,
Infringo cordis silices, & pectore flammas
Concipiens, cruda haud dicor, & esse rigens.
Cui faveo, quid non audet tentare? Lacessit
Nubes fronte: olli pervia Regna Jovis.
In terræ gremio exorior: dant altera vitam,
Altera sed nobis dant Elementa necem.

In

In obitum insignis Theologi P. Nicolai Martinez S. J.

Cui dedit egregium Populi Victoria nomen,
Subdidit huic ipsos inclyta arena Duces.
Gordia Pelleo fœlicior ense recidit
Vincula, quæ reliquos implicuisse solent:
Et clypei hostiles adamante ut reppulit ictus,
Contra ipsum quando tela trisulca volant!
Fecerunt aliis variæ Cognomina dotes:
Hunc sacra Invictum dixit arena Ducem.
Huic Populi tantùm tribuat Victoria Nomen?
Palladios Reges subdidit ingenio.

In morte Jacobi Cortesii S. J. qui Prælia miro artificio pingebat.

Solertis Artis fulgor heu subit fatum,
Radio Timanthis melius, atque Apellæo
Animare Tabulas doctus! Efferum Martis
Dum dedaleâ dexterâ refert ludum,
Et mille pandit horridi vias Lethi,
Nigrosque pulvere inclyto, & rubescentes
Hostis cruenta cæde pingit Heroes,
Adesse Trojæ reris, & graves iras
Europæ, & Asiæ cernere, Hectoris funus
Cum Tela prefert. Melius haud refert Smyrna
Animos furentes, quàm coloret hæc omnes
Tabula æstuantis pectoris truces iras.

De

De Virgilio Marone
Anagrammata quinque duobus Versiculis comprehensa.

Maro.

Roma, Amor, Mora, Ramo, Armo.

Ad Romam.

Roma, *Amor* ille tuus *Maro*, *Ramo* cinctus olivæ,
Sum *Mora* Mortis, ait, tela in quam carminis *Armo*.



EPI-

EPIGRAMMATUM

LIBER SEXTUS.

Cujus prope finem multiplex affertur specimen laudis petitæ a Gentilitiis plurimorum Insignibus.

MAXIMI PONTIFICATUS AUGURIUM

Ex omnium Complexione Laudum

Oblatum Eminentissimo Principi

JOANNI FRANCISCO

CARDINALI ALBANO

Alterâ, postquam in Sac. Collegium cooptatus est, horâ.

NObilitas, Morum Integritas, & Numinis almi
Perpetuus Cultus, Facundia Thusca, Latina,
Græca, Poesis honor, Sophiæque, Arcanaque Divûm
Pervadens Animus, Fideique armatus in hostes
Doctrinæ omnigenæ telis, Jurisque profunda
Cognitio, solers Prudentia, Candor, in omnes
Officiosus Amor, Labor indefessus, & amplæ
Vis Mentis, geminant cui vasta negotia robur,

In

In Te conspirant. Potuit Dos una mereri
Purpureum decus: inque aliis quæ singula Cordis
Ornamenta Tui fulgerent, Maxime Princeps,
Allicerent Ostrum. Tibi Sceptra Vicaria Regis
Æterni spondet Charitum Complexio concors.

Multiplex Regni Auspicium
Eidem
A Pontificia Castri Gandulphi Villa,
ad quam pridie accesserat,
abire cogitanti.

Pontificum quæ Villa solet compescere curas,
Est addicta Tibi, Solium cui præparat Axis.
Proxima Te nemora invitant, ubi Flavia quondam
Rura Titi, regnata Apibus nunc illa Latinis,
Delicium humani Generis quæ rura subire
Jure potes. Doctæ hic olim suevere Minervæ
A priscis fieri Quinquatria: Pallade major
Est, quem Rura colunt. Subjecti plaudit eidem
Unda Lacus, Petri Regimen cui Navis Olympus
Destinat. A Triviæ Templo Mons Algidus olim
Illustris, Cælo, Terris, Ereboque verenda
Credita quæ fuerat, Te nunc Mons pronus adorat,
Tergemini Imperii cui Sceptra Vicaria Numen
Ingeret. Albæ olim exortus si Romulus Urbis
Fundator: nunc, qui Romam reparabit, & Orbem,
Suspicit Alba Virum. Numa si vicina subibat
Collis Aricini nemora, Ægeriæque recessum,
Hæc nemora expectant olim meliora daturum
Jura Numam. Has fertur si delituisse per oras
Virbius Hippolytus superas revocatus ad auras
Arte Coronidæ: vires, floremque juventæ
Restituent Tibi totius Spes, Votaque Mundi.

Atque hæc destitues, quæ, Princeps Maxime, Rura,
Ne Te proripias, tot congessere, vetusta
Quas illis dedit Historia, & quas Fabula, causas?

Præsagium idem ex eo, quod ejusdem Sapientissimi Principis Ædibus Incendium pepercerit.

Afflavit solùm Tua limina, Maxime Princeps,
    Flamma, nec est sacros ausa subire lares,
Quos Tecum Charites, Pitho, Sapientia, & omnis
    Virtutum alma cohors incoluisse solet.
Lædere tam claras horrent incendia Divas,
    Quamquã absit Dominus, quem Chorus ille colit.
Nam, quæ dictarunt congesta Volumina Divæ,
    Sacrilega absumi non meruere face.
Auspicium Regni fuit olim innoxius Ignis
    Ascanii visus lambere cæsariem:
Stella facem ducens dein prævia luxit eidem
    Designans faustum ad culmina Montis iter.
In Gentilitiis fulget Tibi Montibus Astrum,
    Omen & Imperii nunc pius Ignis adest.

No-

Novem Explicationes Propheticorum Verborum S. Malachiæ Archiepiscopi de Pontifice Maximo eligendo, quæ sunt: *Flores circumdati*: oblatæ Eminentissimo Principi JOANNI FRANCISCO CARD. ALBANO, de quo loquuntur eadem verba, antequam Sacrum Conclave ingrederetur.

1. Regnabunt *Flores*? Ergo non obsitus ævo
Clarescet Princeps Triplicis Diademate Regni.
2. Stemmata si Vates prospexit, in Æthere fulgent
Sydera, ceu Flores, Floresque ut Sydera dicam,
Æthere lapsa Tuis rutilant in Montibus Astra.
3. Quod si respiciunt Mores præsaga verendi
Verba Senis, cui Virtutum tot Florea serta
Exornant Animum? 4. Dixit *Circumdata* Vates
Serta, alias etenim Virtutes plurima circùm
Funditur. 5. Aut quoniam Cælestes, Maxime Princeps,
Dotes innumeri certant ambire Clientes.
6. Præterea simili florentes laude coronant
Te Consanguinei, qui Solem Sydera cingunt.
7. Quis Flores circumdat? Apis. Tua Regna Volucres
Optant Dædaleæ. 8. Quid, quod *circumdare Flores*
Exoriens Aurora solet, lachrymisque beare
Irriguis: illa surgente attollere frontem
Cernimus enectos prius, aut in lumina primùm
Prodire, ac lætis ditare coloribus hortos.
9. *Francisci* florens dederunt Tibi Francica Nomen
Lilia: præcedit *Joannis* Gratia: Florum

Dein nutrix *Aurora* ſubit. *Circumdati* in ipſo
Nomine, & in claro vernant Cognomine *Flores*.

Diu recuſatum Imperium
a Sanctiſſimo D. N.
CLEMENTE XI.

Tandem ut ſuccumbas, Divini Flaminis aura
Quatuor aggreditur Te, Pater Alme, dies.

Laboris Amor.

Attenuas aliis, auges Tibi, Magne, labores;
Unus conciliat nam Tibi Sceptra Labor.

Virtutes SS. D. N. Hæretici
Numiſmate illuſtrant.

Hoſtes, qui Te mirantur regnare coactum,
Procumbent ſacros, auguror, ante Pedes.

Eloquentia, & Sanctitas
S. Petrum laudantis.

Ore Petrum mirè celebras; magis attamen Ipſe
Petri ornas Sedem Moribus, Alme Pater.

Fa-

Facundia celebrantis D. Paulum.

Nemo æquè dignus Mundi laudare Magiſtrum,
Aptior & Mundi nemo Magiſterio.

Lapis Indicus Venenum bibit ex infecto corpore, & in Lacte purgatur.

Ad SS. CLEMENTEM XI. P. M.

Dum venis hominum penetrabile virus inhæret,
Vulneris admotus fertur in ora lapis:
Atque avidus mortem ſugit, taboque recepto
Protinus incolumi e corpore ſponte cadit.
Dein lapidi exudat demerſo in lacte venenum,
Et renovata redit primus in ora color.
Nuper an extremis Romam delatus ab Indis,
Sciſſus ab Albanis Montibus anne fuit?
Maxime, nam, Clemens, Mundi ſic vulnera curas,
Dum Tu Curarum lætus amara bibis.
Has peperit Tibi delicias inamabile Regnum,
Quas ſua Mortali Regna dedere Deo.
Innocuæ Mentis Candor dein corda ſerenat,
Atque aliena Tuo parta Labore Salus.



Cur Sacrum Cardinalium
Collegium assurrexerit,
Dum in Exedra fulsit
Præstantissimus Juvenis
ANNIBAL ABBAS ALBANUS
Sanctissimi Domini Nostri Fratris
Filius
Celebraturus laudes

Jacobi Secundi Angliæ Regis.

Purpurei assurgunt Patres, dum clarus ab altis
Apparet rostris Annibal, Alme Parens.
Augustus, viden, ut Juvenem ad subsellia cœtus
Invitat sua: nec stante sedere juvat?
Sic oraturum prius excepere, sed illum,
Quando peroravit, plausus ad astra tulit.
Gregorium Patruus, Magnum &, dixere, Leonem
Exæquat; Patruum ast Annibal ore refert.
Ipsis Romanum si Regibus inserit Ostrum,
Hunc omnes cupiunt Regibus esse parem,
Qui tam præclarè celebrat decora inclyta Regum,
Magnum Regalis cordis & instar habet.

Christina Sveciæ Regina
Ferocientem Taurum interimit.

Quæ pavidum potuit Regina urgere Bootem;
Inque undas Ursas egit Hyperboreas,
Insanum stravit regali vulnere Taurum
Liventi plumbo, quod volat ære cavo.

Per

Per Cynthi juga venatrix Diana frementes
Non ſic fulminea cuſpide ſtravit apros:
Non ſic Herculeis Achelous viribus impar,
Taurina quamvis fronte, momordit humum.
Auratis aperit, Taurum, qui cornibus annum,
Chriſtinæ virtus pellere ab axe poteſt.
Præclari ambitio Taurum pulcherrima lethi
Urit, & hæc ficto fata furore petit.
Jupiter, ut quondam, Tauri mutatus in ora
Regalis dextræ vulnere dignus erat.

De Infundibulo,
Ænigma.

Non me torquet edax ventris latrantis orexis:
Urit cruda ſitis. Vivere mi bibere eſt.
Maſſica ſi mihi potetur Vindemia tota,
Chia, Phalerna, meus non ſatis ardor habet.
Os præter mihi nil eſt; atque immane palatum:
Inſilio ipſa etiam colla aliena frequens.
Gaudeo convivis; nec Vinum exhaurio ſolus,
Atque mihi ventris commodat alter opem.
Si potus gliſcant certamina, non mihi centum
Eripiet palmas ebria turba virûm.
Indorum o Domitor nobis arrideat! Ohe,
Rides? Sed proſim quò tibi, flagro ſiti.

In Heroſtratum, & Dianam.

Regibus innumeris centum ſudata per annos
Templa uno extinxit noxia flamma die.
Hæc ſtudio incendis probroſæ, Heroſtrate, famæ,
Ut tua ſint ſemper nomina in ore virûm.
Præclarum facinus tibi crimen grande videtur,
Magnaq; dum fuerit, vel mala fama placet,

Innumeris dicat quæ te præstare Tyrannis,
    Dum subitò excindis, quod mora lenta dedit.
Fulminibus certare ambis, quæ præpete flamma
    Regales turres, sacraque Templa cremant.
Ipsum ambis superare Jovem; nunquam ille trisulco
    Nam peperit telo, quæ face damna paris.
Hæ vires tibi corda inflant? Insania at ingens
    Sufficit, ut quivis possit habere pares.
Dum tua Templa volans alis complectitur ignis,
    Num, Diana, urges per nemora alta feras?
Vel nunc, materna Magnus qui prodit ab alvo,
    Te curis aliis implicuit Macedo?
Multiplici at Cælum, Terras, ac Tartara vultu
    Si lustras, Templo haud noris adesse tuo?

Ver Jambis puris descriptum.

Nives liquantur: Alpium e cacumine
Gradu tacente fluctuant, & alveo
Ut incidunt agentis ante Fluminis
Propinquum ad æquor innocentibus vadis
Tributum, in arva cornibus tumens novis
Superbus amnis asperas aquas ciet:
Pecusque, rusticisque cum novalibus
Sepulta vota, spes & irritas trahit.
Ut eminente vidit e crepidine
Tributa regna Najadum choro sua,
Lacessit astra Villicus furens probris.
Juventa & ipsa, qua fugatur horrida
Hyems, & Annus aureum erigit caput,
Nocere novit? Integra haud beatitas
Ab axe nostra fluxit in mapalia.
Sed arva Flora pingit, & Favonio
Parente læta flosculorum in æthera
Cohors aprica nititur: corallia

Ru-

Rubore, purpuraſque geſtiunt Roſæ
Præire, nec Liguſtra Biſtonum nives
Sui decoris æmulas ferunt. Viden,
Ut inquieta turba libero pede
Napeę humum impulere: nec triplex Charis
Chorum recuſat: implicare mutuas
Manus videntur, & per arva libero
Volare greſſu.

Cur ambulante Socrate coruſcaverit.

Par Superis prodit Socrates, Cælumque coruſcat.
    Fortuitò Cælum quis rubuiſſe pntet?
Emeritam frontem, reor, ambitioſa coronant
    Fulgura. Et huic aurum, terra noverca, negas?
Aſcanii quæ viſa comas eſt lambere flamma,
    Augurium clari ſi fuit Imperii:
Cui rutilo fingit Diademata fulgure Cælum,
    Huic Virtus Regnum, huic inclyta Fama dabit.
Socratis an laudes linguis Cælum omne coruſcis
    Eloquitur? Vecors infremat Invidia.
Ignea an Invidiæ linguas rear eſſe cruentas
    Fulgura, qua in Socratem turba maligna tonat?
At fruſtra pariant lethalia fulgura fulmen,
    Ni feriant ipſos tela triſulca Deos.



De

De Callimacho ſtante poſt Mortem.

Toti Aſiæ obſiſtis, nec te, fortiſſime, Xerſis
    Innumera evertunt agmina, Callimache.
Eſt clypeus Martis pectus, cui ſpicula mille
    Infixa, haſtarum mille trophæa quatis.
Fata ſubis feſſus vincendo, & grande triumphi
    Inſtar habet funus, nec tibi fata nocent.
Horrendùm ſpirant oculi, Mors cruda minatur,
    Dextra vibrat ferrum, ſtantia membra rigent.
Inclyta magnanimum finem portenta coronant:
    Stans poſt fata agitas barbara corda metu.

De Fumo Ænigma.

Illuſtri e genitore, ſtirpe clara,
Proles degener orta, cum parente
Ipſo naſcor, & orta vix perennes
Curſus aggredior. Moleſta cunctis,
Si claudor, jubeo, procul faceſſant
Domus, quam ſubeo, incolæ. Laceſſo
Morſu lumina. Verticis latebræ
Si nobis pateant, ſuperba cervix
Inſultat miſeris. Ubi immoramur,
Noſtri ſigna relinquimus furoris.
Facto diluimus ſcelus ſed uno:
Feſta luce ſacras amamus Aras.



Fe-

Fœminæ Senenses in Urbis obsidione strenuè decertant.

Dum premit obsessas victrix Florentia Senas,
Fortia Fœmineum vulgus in arma ruit.
Excussi manibus radii, calathique Minervæ,
Et valuit pugnax Ægida ferre manus.
Quin etiam, primas queis lux concesserat auri,
Abscidit immeritas dextera acerba comas:
His furor hostiles vinclis ut stringeret artus,
Libera queis olim corda ligavit amor.
Cæsariem hanc cælo decuit fulgere sereno,
Et Berenycæis crinibus esse parem.

De Pepone.

Flos, Odor, & Pondus, sunt argumenta Saporis:
Dant Oculi, Nares, certaque signa Manus.

Ad præstantem summâ Facundiâ, & Ingenio R. P. Magistrum Lepori Ord. Prædicatorum; quem Authbor singulari cultu prosequutus non fuit.

Digredior Templo, & sacro te in limine stantem,
Non, quo par, animo est, obsequioque colo.
Non me turba frequens, non Templi sacra tuetur
Majestas: oculis non leve crimen inest.
Quid turbam intueor? solus tu grande theatrum es;
Teque omnis monstrat, turbaque dicit: hic est.

Rel-

Relligio jubet, officio ut te prosequar omni,
Qui visus Templum civibus ecce reples.
Erravi, & miro ex errore superbia major
Nascitur: in cælum me mea culpa rapit.
Mentis in exilium, dico, me forsitan ardor
Abripuit sacer, ac detulit astra super.
In cælum ferar ipse? Nihil mortale sed a te
Detorquere meum cor valet, aut oculos.

Alexandro VII. Pont. Max.
In erectum ab illo Amphitheatrum
Columnarum Vaticanum
Templum coro-
nantium.

Antiquam super exurgit Roma altera Romam:
Quam nequit Orbis, se vincere Roma potest.
Marmore si Augustus lateres mutaverat Urbis,
Aurea Alexandro Principe Roma micat.
Aurea sub tanto redeunt ceu Secula Rege,
Utque animis illo Principe forma redit:
Dotibus ut uirtus nunc sacra insultat avitis:
Sic novus exornat Romula Regna decor.
Singula quid memorem, aut saltem certantia septem,
Quæ videre Patrum secula, prodigiis?
Templa, Viæ, Fontes, Regalia Tecta, Theatra,
Et Phidiæ primus, primus Apellis honor,
Exornant illo gavisam Principe Romam,
Illius & pingunt nobile Regnum Animi.
Surgere quas video moles, quæ cerno columnis
Cingere centenis Amphitheatra Petrum!
Huc montes fluxere, ac montibus æmula surgit
Grande theatralis molis ad astra decus.

Fin-

Fingere Alexandri sacros hæc marmora vultus
Debebant, animi sydereasque notas;
Nam, quem Stesicrates effingere montibus arsit,
Major Alexandro est Imperio, & Meritis.
Marmora sed quanquam, & spirantia respuit æra,
Quæ olli in Tarpejo Romulidæ obtulerant,
Haud potuit vetuisse, Animi ne grandia centum
Perpetuò starent hìc Simulachra sui.

Dum Philosophiæ, ac Theologiæ Laurea ornaretur Excellentissimus Princeps Benedictus Pamphilius, nunc S.R.E.Cardinalis, humi consederunt nobilissimi Equites.

Excipere attonitam Romam dum Templa laborant,
Ante pedes Equites procubuere tuos.
Hoc tantùm obsequium, fiunt dum Sacra, coronat
Pontifices. Illis par tibi habetur honor?
Auguror. Insignes tibi adornat Roma Triumphos:
Nunc ambit meritas Laurea docta comas:
Purpura mox, & sueta tuis Diademata fronti
Affundent, a te suscipientque jubar.



Eidem

Eidem docenti tradi homini posse Jus contra Deum.

Jus tibi penè ſuas in dotes tradidit. Ergo
Ipſe homini Deus in ſe dare jura poteſt.

Eidem affirmanti non poſſe a Deo condi quicquam, quod, per ſe ſubſiſtens, Naturæ ordinem ſuperet ingenita ſibi Virtute.

Evertis, quæ propugnas, doctiſſime Princeps.
Condi poſſe negas, quod tibi ineſſe probas.

Eidem ſtatuenti Beatitudinem, ut dicunt, formalem ſitam eſſe in actu voluntatis, non intellectus.

Ut Cælum fortunet Amor, nunc lætitiæ mens,
Quæ te audit, florem libat inocciduæ.



Eidem

Eidem tutanti sententiam, quæ docet, cognitionem rerum futurarum sub conditione præire Decreto Divino statuenti illa, quæ re ipsa contingent.

Quod raperes animos, quæ te sors cumque maneret,
Vidit, dum tribuit tot tibi dona Deus.

Eidem neganti malitiam infinitam inesse lethali crimini.

Infinita reos facerent si crimina, talis,
Ingenio tibi non cedere, noxa foret.

Equestre Ludovici XIV. Christianissimi Regis Simulachrum in altum Montem eniti videtur.

Obvia jam superata: per invia, Magne, volandum;
Invia Virtuti si tamen ulla tuæ.

Vel.

Quò Magnum Ludovicum labor inclytus urget?
Quam sitit, in celso Gloria Monte sedet.

Vel.

Famam alii, Imperium Lodoicus terminet astris.
Hinc Cælum quærit, quo sedet altus, Equus.

In

In Iliadem a Muribus corrosam.

Divinam arrodunt audaci dente superbi
Iliadem Mures, Trojaque rursus obit?
Hostilem celeres Ranæ prohibete furorem,
Quæ Xanthi incolitis, quæ Simoentis aquas.
Vestra olim cum Crambofago, & Lichenore dixit
Cælesti cantu prælia Mœonides.
Ingrati invadunt hominum nunc prælia Mures:
Hoc, generosa, feres, Hydromedusa, nefas?
Argolicis fœtus Ducibus subvertere Trojam
Si quondam potuit Palladius Sonipes,
Nunc Phrygas, & Grajos, studiis & scissa Deorum
Concilia absumit Muris anhela fames.

Cur Astrologi plerumque infœlices.

Quòd miseros faciant, accusant Astra frequenter:
Afflet sydereus nec furor Astrologos?

Augurium ex errore, quo pulchriori luce coruscans Venus credebatur Cometa.

Exarsisse trucem vulgabat fama Cometen;
At plena est flagrans luce reperta Venus.
Fax nova Mavortis visa est portendere clades;
Sed redeunte pius Pace nitebit Amor.



Ad

Ad Sereniſſimum Villelmum Joannem Vincentium Ignatium, Juliæ, Cliviæ, Montium Principem, Comitem Palatinum Rheni &c.

Europæ luſtras, Princeps, dum regna triumphis
Uirtutum, Alcides diceris eſſe pius:
Et Patrii exuviis munitum, atque ungue Leonis
Te metuunt hoſtes Amphitrioniadem.
Humano flagrare ſolent quæ in pectore monſtra,
Hercule magnanimo fortior interimis.
Terrorem Nemees, Erymanthi fulmina, peſtes
Lernæas, pavida in tartara præcipitas.
Te nunquam auſa Cypris temerare, Superbia victa,
Atque Iræ fervor, ſunt Aper, Hydra, Leo.
Alcidem inſeruit victorem fabula Cælo:
Te Pindus quondam dicet an eſſe Jovem,
Juveris auguſtæ Populos cum munere dextræ?
Martem, cum Thracum cornua contuderis?
Mercurium dicet Facundia? Sed chorus omnis
Pieridum Phœbum te volet eſſe ſuum.

Julii Cardinalis Romæ Pia Liberalitas.

Ingens dum Roma argentum largitur egenis,
Regalis dextræ cernere credis opes.
Non plura his Cæſar donaſſet Julius, aut ſi
Integra communi nomine Roma daret.
Nec mirum; Imperium meruit nam Julius Orbis,
Regales illi par fuit eſſe animos.

Eminentissimo Principi
Camillo Cardinali Maximo.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples;
Nec sinis Ingenium Nobilitate premi,
Romuleo tandem fulges spectabilis Ostro,
Sese ornat radiis Purpura & ipsa tuis.
Lux Thomæ sacra Sidonio te cingit amictu,
Cujus, sera licet, fertur in astra Fides;
Prœmia namque tibi tandem collata morantes
Absolvunt Divos. Estis, io, Superi.

Eidem prius Præfecto Cubiculi Pontificii,
quo munere perfunctus
ante fuerat
Sanctissimus Pontifex Clemens X.

Purpura Sacra tuis iter est, non meta, Triumphis,
Et magno, Princeps, sub duce carpis iter.
Divini assuetus Proregis pandere Valvas,
Cæelestes didicit mox aperire fores.



In

In Mortem Fulviæ Cybo Massæ & Carrariæ Ducis Conjugis. Alluditur ad Fulviam Marci Antonii Triumviri Uxorem.


Fulvia, fatalem sceleri Ciceronis in auream
Avulsam linguam cur tua sævit acus?
Elinguem hæc possit Ciceronem reddere, quamvis
Haud telis illum Fulvia transfadigat:
Scilicet illius molitus dicere laudes,
Arbitror, elinguis Tullius ipse foret.

In ejusdem Sepulchrum.

Visa sepulchralem cur sponte Ligustica molem
Quærere saxa, tuas quæ tegit exuvias?
Dicitur Amphion lapides traxisse canendo,
Nobile virtutum sed melos ista trahit.

In ejusdem illustre Nomen.

Quæ tulit egregiam vel in ipso Nomine lucem,
Fulvia lethali nocte sepulta jacet.
Phœbeum jubar æternis squalere tenebris
Posse rear, postquam Fulvia procubuit.



In illius nobilissimos Consanguineos.

Fulvia ſplendenti digniſſima nomine, Soli
Quam virtus æquat, claraquc Nobilitas,
Quam Fratris jubar, & præclari Conjugis ornat,
Purpurei & Leviri, & Præſulis eximii.
Hæc aliis poſſent decora almam affundere lucem:
Ut Sol externæ haud Fulvia lucis eget.

In eamdem Mirandulæ Ducis Sororem.

Fulvia, mirari te ut diſcat quilibet, ipſa
Nos tua mirari Patria clara docet.

In Funus Illuſtriſſimi Comitis Alberti Graſſi, cujus Inſigne eſt Aquila cum Capitibus, Albo & Nigro.

Quæ Volucrum Regina biceps in Stemmate vivit,
Graſſe, tuos mores ingenioſa refert.
Te regale genus, te tollit ad æthera virtus,
In Patriam exornat te generoſus amor.
Sic vi magnanima, & regali ſtirpe ſuperbit,
Solemque haud dubio lumine cernit Avis:
Ultori nocuos diſcerpit & ungue colubros,
Et fert irato tela triſulca Iovi.
Serpentum ſic allapſus, Patriæque venenum
Arces, &, ſpargi ſi audeat, ultor ades.
Pingitur Albo Vita, Nigro Mors Vertice; Namque
Perſtas magnanima in Morte Tonantis Avis.

Ad

Ad eumdem, cujus in Stemmate Aquila, & tria Lilia, & alia Aquila Coronæ imminens.

Stemma tuum Flores ornant, ornantque Volucres,
Floresque eximii, & regia pingit Avis.
Inter odoratum regalem Lilia frontem
Attollunt populum: sunt sua regna Aquilis.
Regia sed quamvis, & pulchra Insignia vivant,
Depingunt mores non satis illa tuos.

Ad eundem, qui diem obitus sui prævidit, atque illum hilaris est præstolatus.

Quàm bene, quæ Volucrum Princeps in Stemmate regnat,
Te, Moresque tuos ingeniosa refert.
Flagrantem Phœbi cursu petit illa quadrigam,
Et bibit impavido lumine Solis opes:
Quòque magis terræ fugienti insultat ab alto,
Metitur celsum tutior Ales iter.
Sic, Alberte, volas Divini ad lumina Solis,
Atque humili e terra transfuga lætus abis.
Hinc alia illustri digressa e Stemmate in altum
Evolat, atque hilaris Sydera quærit Avis.



De Electro.

Quod modò gemmatis Electrum vivit in arcis,
Hæserat uvidulis lachryma mœsta genis,
Cum Phaetontiadum quondam pia turba sororum
Ingemuit fratris tristia fata sui.
Quis neget in gemmas lachrymarum flumina verti,
Exprimit ignitus quas Pietatis amor?
Heliadum e fletu si plurima gemma renidet,
Et pretium lachrymis succina gutta facit.

Eminentissimo, & Reverendissimo Principi Joanni Baptistæ Cardinali Ptolemæo e S.J. Eximio Ven. Cardinalis Roberti Bellarmini Propugnatori, & Recentium omnium Hæresum Eversori.

Virtus, Ingenium, Doctrina, & Lustra peracta
Octo Loyolæ in castris, Ptolemæe, Verendo
Te Bellarmino æquarant, susceptaque Pugna
Contra omnes Roberti ausos hebetare sagittas.
Non septemgeminum tantùm caput Hæresis hydra
Extulit: innumeras vomuerunt Tartara fauces:
Cunctas elidis. Paria ergo Prœmia magno
Destinat Heroi Clemens: sapienter & annos
Computat Utriusque pares. Quoniam unus & alter
A Sexageno deerat, fulgere coactus
Romano fuerat cum Bellarminus in Ostro,
Ac totidem exegit Ptolemæus, Purpura eidem
Injecta est frustra renuenti. Quinque Senatum
Ornavit per Lustra Sacrum Robertus. Ut Alter
Hoc ævum geminet, poscunt communia vota.

De

De *Apertione Oris* *Eminentissimo Cardinali Ptolemæo præstantissimè locuturo in Consistoriis, & Sacris Congregationibus.*

Os Tibi apertum est? Obmutescent ora Trifaucis.
Cerberus Invidia est, Hæresis, Impietas.

De *Chrystallo Ænigma.*

Sydereo duco pretiosam e semine vitam,
Et vitam nivea de genitrice traho.
In tenebris nascor, lucem tamen ipsa tenebris
Affero, & æthereas augeo lucis opes.
Picturâ haud mecum doctus certarit Apelles;
Non mihi tela tamen, non color ullus erat.
Plurima mortales mihi sępius oscula libant,
Præsertim fervens cum canis urit agros.
Si maneam incolumis, primas non occupet aurum;
Sed mea laus omnis, si cecidi, periit.
Invidiam fugi, nam si durabilis essem,
Tunc auro, & gemmis invidiosa forem.

De *Adamante.*

O Cæli soboles benignioris,
O pulchris Adamas superbe cunis,
Nam te pallidulo sinu repertum
Auri accepimus esse pulchrioris.
Tu vincis niveas nitore gemmas,
Aurum lumine,cādidumq;Vitrum:
Te Regum pretiosa frons superbit,

Te petunt pueri, & petunt puellæ,
Et sępe in nivea manu renides.
Frustra miscuerint venena potum,
Et mors in liquido natarit auro,
Si te gesserit ille, cui venenum
Hostilis dare livor appetebat.
Tu mentis miseros fugas timores,
Et nubes animi, nigrasque curas:
Ferrum duritie domas perenni,
Et rides furias edacis ignis.
Sed tu prodigium, decusque terræ,
Vervecis calido peris cruore.
O vanas hominum, brevesq; gazas!

Lusitanus Miles pro glande plumbea dentem in Hostes ejaculatur.

Obsessæ Miles dum mœnia protegit Urbis,
 Et procul hostiles submovet arce manus,
Liventes desunt globuli, quos vibret in hostes,
 Altam ut figant lucida tela necem.
Siccine destituis medio in certamine, Mavors,
 Inquit, & e manibus parta trophęa rapis?
Frustra subduxit nobis sors invida telum,
 Nam telum nobis omnia membra dabunt.
Dixit, & avulsum dentem vibravit in hostes,
 Et subiit plumbi munera dentis ebur.
Cynegiro palmam eripuit; nam dentibus ille
 Fręnavit puppes, stravit at iste viros.

Aliud

Aliud.

Dum Lusitanus Miles Urbis obsessæ
Tutatur arcem, & igneos globos vibrat
In obsidentes, fortè tela subduxit
Iniqua sors, nigraque peste nitratæ
Desiderantur hostis in necem glandes.
Non cecidit animo Miles, &, licet telum
Fortuna vecors subtrahat, dabunt telum
Mea membra, dixit, atque ab ore divulsum
Dentem vibravit alacer hostium in turmas.
Hunc quem putemus esse, qui modò Miles,
Mutatus in Aprum dente pugnat irato?

Aliud.

Lusiades celsæ sublimis in aggere turris
Fixit in hostiles liventia lumina turmas,
Æratasque acies, atque acri percitus ira,
Ah liceat, dixit, sceleratum scindere pectus
His manibus, nigrumque avido bibere ore cruorem;
Figere & iratos laniato in corpore dentes.
Sed quoniam nostræ dirimit fors invida laudi,
Ingenium dabit ira, & pœnas ipsa reposcet.
Dixit, & avulsum ferrato condidit alveo
Dentem, qui flamma vectus per inane curuli
Transfixit gelidum subeuntis mœnia pectus
Militis, atque imo penetrali cordis inhæsit.
Sic, quamvis hostem prudens fortuna diremit,
Hostiles rabidis laniavit dentibus artus.

Aliud

Aliud.

Anne hunc immeritò verum rear esse Tonantem,
Cujus flagranti fulmina ab ore ruunt?

Phara Virgo Gallica oculis ob vim lachrymarum orbata ab impari amatoris vexatione eximitur.

Solveris in lachrymas, Virgo, quia pulchra venustas,
Quæ micat ex oculis, Cypria corda ferit:
Et nimio pereunt languentia lumina fletu,
Et perit erepta luce protervus amor.
Non erat hic fletus, qui pressit Cypridis ignes,
Sed risus niveæ Virginitatis erat.
Cunas, & tumulum Cypris sortitur in undis,
Nam lachrymæ perimunt, quam peperistis aquæ.

Horologium Arenarium.

Clepsydra, quæ volucris metitur tempora Vitæ,
Exprimit humanæ sortis inane decus.
Lubricus in vitreo pulvis suspenditur orbe,
Cui patulum tenuis rimula fecit iter.
Labitur in præceps per aperta foramina pulvis,
Excipit atque alio vitreus orbe sinus.
Concretus pulvis mortalia corpora conflat,
Qui plusquam vitreo carcere pulvis inest.
Cum mors humanos animo secreverit artus,
Vitrea frangentur corpora, pulvis erit.

In

In Inventorem pulveris tormentarii.

Ferreus ille fuit, qui fatis addidit alas,
Et celerem ærato trusit ab ore necem.
Nec satis est nos posse mori, cum Parca maligno
Fatalis telæ pollice fila secat?
Mors est in pretio mortalibus. Ignea grando
Gaudet non notas lethi aperire vias.
Illum Tisiphone docuit, vel Cerberus atrox,
Cui ars hominum in pœnas ingeniosa fuit.
Crediderim haud illum nostro de semine natum,
Cui non humanus pectore sensus erat.
Ignibus Enceladi fœtum vibravit in auras,
Fulmineo flammas dum vomit Ætna jugo.

Sclopus Ferreus.

Terribilis longo sese tubus explicat ære,
Et patulo tenuem laxat ab ore viam.
Pulveris inde seges nitrati conditur alvo,
Parturit & sævam machina fœta necem.
Mox silicis venis scintilla excuditur ignis,
Pulveris admoti quem bibit usque sitis.
Nec mora: Vulcanus comprendit pulveris escam,
Spargitur e gravido livida flamma sinu.
Pulveris immistus pesti ruit impetus ignis,
Et rapitur celeri plumbeus igne globus.
Æmula Naruræ fuit Ars, ne fulmine posthac
Dicatur solus Jupiter esse nocens.



Alie-

Alienis de Magna Hetruriæ Duce Anagrammatis Epigrammata ſubtexuimus.

Victoria de Ruvere Magna Dux Hetrariæ.
Anagramma purum.

In Curru Virtute vehor Dea Regia ad Axem.

Dum tu ſydereis in Cælum tolleris alis,
Nobilis & Solii transfuga ad aſtra volas,
Riſit, & hæc roſeo dixit Victoria vultu,
Nomine quæ incedit Diva ſuperba tuo:
In Curru Virtute vehor Dea Regia ad Axem;
Dum Regina Arni dotibus Aſtra petit.
Vincimus, inque uno Gemina eſt Victoria Curru.
Non Laurus, Robur noſtra ſed Arbor erit.

Aliud Anagramma purum.
Victoria de Ruvere Magna Dux Hetruriæ.

Gaude Heroina: Arx Virtutum dicere vera.

Pulſa fugit terris Virtus, fugit aurea morum
Temperies: Arcem quærit, & ambit opem.
In te miſta fluunt decorum agmina, pulſaque terris
Præſidium Virtus te videt eſſe ſuum.
Gaude Heroina: *Arx Virtutum dicere vera*:
Tuta in te Virtus namque, ut in Arce, viget.



Aliud.

Aliud Anagramma purum.
Victoria de Ruvere Magna Dux *Hetruriæ.*

Heroum Genitrix, credaturve aurea Diva.

Divarum sobolem, Heroes, venerata vetustas
 Miscuit humanum, sydereumque genus.
Attonitam Maro si frontem nunc tollat ab umbris,
 Dircęus Vates, Męoniusve senex,
Suspiciatque tuos, Victoria Regia, Mores,
 Et quos Semideos sufficis Hetruriæ,
Heroum Genitrix, credaturve aurea Diva
 Semideos dare, sed Moribus esse Dea.

Aliud Anagramma purum.
Victoria de Ruvere Magna Dux Hetruriæ.

Aethereum Ver, Diva Arni Regi Uxor ducta.

Perpetuo regnans Florentia vernat Aprili:
 Haud æstas illi, haud mœsta recurrit hyems;
Namque olli æthereis regnans Flos venit ab hortis,
 Qui æterno servat munere Veris opes.
Tu rosei Floræ, Victoria, temporis annos
 Æternas: tua sunt munera Veris opes.
Diva Arni Regi Uxor ducta est *Aethereum Ver*,
 Scilicet æterno Sydera Vere nitent.

Ocu-

Oculatissimo Cæco
Joanni Baptistæ Agnensi,
qui plusquam mille Anagrammata mente complexus
de Augustissima Deipara,
dignatus est ludere consequenti
in immeritum Nomen Authoris:

Clarus hic Unio nitens planè aureus est.

Aureus est planè, atque *nitens hic Unio clarus*,
Et laudes aliis commodat ipse suas.
Unio Matutæ lachrymis concrescere fertur,
Dum raptum plorat Memnona mœsta parens.
Unio sunt lachrymæ, quas fundis, dum tua Solis
Divini Genitrix aurea corda rapit.
Prodigium Cæleste! Oculis es captus, & ipsis
En margaritas exprimis ex oculis.
Mæonius veluti Vates es lumine captus;
Estis enim Princeps artis uterque suæ.
Tu major; namque illius sine lege volavit
Musa: tibi sacrum vincla morantur iter.
Et paucis arctas Arcana ingentia verbis,
Dum paribus renovas nomina versa notis.
Tiresias rapto sic sydere frontis utroque,
Inconcessa aliis cernere suetus erat.
Sed faustis viduatum oculis quis dixerit Argum,
Qui Mille aspexit luminibus Mariam?

Præ-

Præstantissimo Viro
P. Magistro Spadæ Ordinis Prædicatorum,
a quo Author donatus fuerat sequenti
Anagrammate:

Sol pius: hinc variè, nec vanè rutilans.

Pingit adoratos adversa in nube colores
    Sol, postquam hæc pluviis arva beavit aquis;
Plurimaque ex uno surgunt Parelia Sole,
    Quæ ludunt fictis lumina imaginibus.
Sol pius, hinc variè, nec vanè, es, Spada, refulgens;
    Solis enim pulchris moribus ora refers.
Italiæ illustras radiis fœlicibus Urbes,
    Lucida dum sacra spicula voce vibras.
Solem te Virtus, Generis lux inclyta Solem,
    Doctrinæ Solem te facit esse jubar.
Candidus hic blanda nos luce tuetur Apollo,
    Laudique immeritæ nobile pandit iter.
Ante velut nubes ventis agitabar inanis,
    Nubila Apollineæ nunc facis instar habent.
Munera cum Sole hæc Spadæ communia; pulchra
    Omnia Sol etenim conspiciendo facit.

Reverendissimo P. Alonso Salisalis
Ministro Generali Seraphici Ordinis Minorum
Observantium S. Francisci.

Digna tibi Imperio forma est; sunt corda regendis
    Digna viris: Mens est, Ingeniumque ferax.
Hinc legere hominum bis centum millia Regem,
    Teque unum sacris imposuere suis.

Fran-

Francifci arcta Cohors legit, cui non videt Orbis
Aut numero, aut meritis, aut pietate parem.
Ceu chorus Aligerum, quo non præftantior alter
Eft Meritis, Numero fic alios fuperat:
Et pariter crefcunt Numeri, ac Virtutis honores,
Nulla, ut Seraphica, hinc eft numerofa Cohors.
Sic Acies inter certantes ditior amplo
Seraphica eft Numero, nam Pietate præeft.
Eft tibi quæ Virtus, Vir maxime, quando Virorum
Flos tibi Sceptra facri detulit Imperii!
Namque, Alonfe, Salis Alis Virtutis in Axem,
Te facrum Virtus evehit ad Solium.

De Libro Ænigma.

Aliena pellis induit genitam patre
Egente fobolem, quæ diem nunquam fubit,
Ni verberetur ante, ni in partes eat
Concifa plures. Vincla dein fęva implicant
Exortam in auras; vincula fed obftant nihil,
Ne libera Orbem peragret. Haud unquam inftitrix
Fuit illa; fæpe at decoquit: geminat fuam
Quandoque gazam. Hanc Vulgus, hanc Reges manu
Præferre gaudent. Quifquis at cum illa frequens
Confabulatur, ater, aut niveus, folet
Mutare vultum cordis, aut hebes ftupet.
Ut grata amicis accidat, quod corpore
Digeffit, illud rurfus in menfam refert.

Ale-

Alexander Abbas Scarlattus e loco, in quo preces fuderat, surgens deficientibus viribus prolabitur.

Poſtquam fuſus humi ſuper æthera mente volaras,
Ad terram lapſu cur graviore ruis?
An quia Numinis alloquium te invexerat aſtris,
Oſcula delibas officioſa ſolo?
An quia ſydereum pandit locus ille theatrum,
Hoſpitio gaudent membra beante frui?
An quia Divus Amor tibi cor transfixit amico
Vulnere, poſt vulnus languida membra jacent?
Cum titubent poſt vota pedes, non ſolus Jacob
Ivit cæleſti claudus ab alloquio.

In Mortem Viri Matheſi, & Medicina præſtantiſſimi.

Effera quis poſthàc Parcarum fila moretur,
Si perit, Ars metuit quo moriente mori?
Quo nullus melius Naturæ noſcere cauſas,
Et valuit latebras, Coe, videre tuas.
Aſtrorum menſor patrias remeavit ad arces,
Sprevit & immeritum grandia ferre ſolum.
Omnia qui didicit, quotquot vel priſca tulerunt
Secula, vel potuit mens reperire ſagax,
Mortales poſtquam meditando expromere vires,
Non valuit, nova quò diſcat, ad aſtra volat.



Nobilis Puella nascitur in Pervigilio Deiparæ Templo oblatæ: moritur in Pervigilio Festi ad Nives.

Templa subit Virgo, Genitrix te dum explicat alvo:
Cum cadis, æstivas astra dedere Nives.
Te nimbo immissam venisse ex Axe nivali,
Cum Diva & Cæli Templa subire decet.
Sed quia sunt vivum Templum tua membra Tonantis,
Suntque aer, tellus, æquora, Templa Dei,
Hæc manifestâ animus vitâ colit aurea Templa,
Dum Solymæ ad Templum trimula Virgo volat.
Blanditur terris Nivium dum munere Cælum,
Terra etiam Nivibus recreat astra suis.

De præscripto Silentio Discipulorum querela.

Heu cur Harpocrates expulsa Pallade regnat,
Et movet ingratus sceptra timenda Deus?
Non hìc Pythagoræ excipimus documenta renati,
Nec post fata hominum triste docemur iter:
Vivat ut Actæon post funera inania Cervus,
Sitque sibi Ceyx ipse superstes avis.
Panditur hìc hilaris Musarum, & Regia Phœbi,
Quam decet argutis usque animare modis.
Lætitiæ pater est Phœbus, fruiturque juventæ
Munere perpetuæ, deliciasque parit.
Sunt citharæ cordi, & digiti cum voce loquentes
Pieridum Regi, Pieridumque choro.
Et quis Apollineis ingrata silentia Regnis
Imperat, & Samii tristia jura senis?

An-

Anne tuas audis, torrens facundia, leges
Everti, atque hosti Regna ne destituis?
Hìc ubi tu attoniti moderaris fręna theatri,
Atque tuo Suadæ vivit in ore lepor:
Aurea mellifluo hìc ubi copia flumine currit,
Alta velut nivibus flumina monte ruunt,
Enecat eloquii hìc dotes, & munera linguæ,
Qui semper clamans ore favere jubet?

Aliud.

At saltem auditor tunc verba reponere posset,
Cum taciti socius provocat ora loquax.
Qui negat officii leges, & jura tueri,
Ille homines avibus non sinit esse pares.
Scilicet assiduo mulcentes æthera cantu
Per sylvas iterant flebile carmen aves.
Si fidicen plectro, digitisque loquacibus illas
Provocet, exultant ore referre sonos.
Ast ego Palladio, velut ales, carcere clausus,
Officio linguæ cedere cogor avi.
Mercurium sector, truncoque simillimus Hermæ
Hærere hìc jubeor, labra movere nefas.

Aliud.

Cur homini imponis præscripta silentia nulli?
Bruta etenim, & sensu quæ viduata, fremunt.
Massylæ rugit in sylvis Leo, verberat auras
Mugitu Taurus, Tygris, & Ursa gemunt.
Si flagrant, stipulæ crepitant, & Delphica laurus:
Stridet, si ferro subdita quercus hiat.
Ipsæ etiam cautes, excesaque saxa loquuntur,
Et de speluncis vocis imago redit.

Post vocis funus reparabilis assonat Echo,
Atque animat rursus, qui periere, sonos.
Et fato defuncta, & habent non nata sonorem;
At prohibemur nos, turba diserta, loqui?

Aliud.

Haud nobis levis, aut puerilis quæstio surget:
Quo jactu tali diripiantur opes:
Senio quid dexter ferat, aut canis improba radat,
Actus quo melius verbere turbo volet.
Sed bibulis excepta animis documenta loquendi
De socii rursus quilibet ore bibet:
Et Suadæ leges juvenilibus altius hęrent
Exceptæ verbis, queis natat ore lepor.
Historias animo, lapsumque educimus ævum,
Somnia vel Vatum quæ vigilata docent.
Ergo occidetur sterili revoluta palato
Vox, medicina malis, lętitiæque parens?
Quæ cantu oblectat, quæ fœdere pectora nectit,
Quæque una edocuit tecta subire viros?
Tradita vox dono Superûm mortalibus ægris,
Ut mala propulsent, commoda & alma parent?
Vox perit, inque tuo moritur, Facundia, Regno:
Hic ubi verborum copia regnat, obit?

Aliud.

Summe Pater Divûm, mentis quid munera prosunt,
Quidve homini dotes divitis ingenii,
Ingenii Interpres si vox, & nuntia mentis,
Non sinitur mentis vox aperire notas?
Imperat Harpocrates, sceptroque comante minatur,
Et breve si verbum murmurat, ille tonat.
Præstat perpetuis heu linguam obducere vinclis,
Ne postquam tonuit, tela trisulca ruant.

Emi-

Eminentissimus, & Reverendissimus Princeps
Joseph Cardinalis Sacripantes
Sanctissimi Domini Nostri Prodatarius,
& Sac. Congregationi de Propaganda Fide
Præfectus,
S. Josephi Patroni sui
Cultùm religiosissimè auget.

Divinæ Sponso Matris, quem Nomine præfert,
Splendorem Princeps Optimus amplificat.
Loyolæ in Templo condit Regale Sacellum,
Phidiacus de quo, & certat Apellis honor.
Fama Operis nondum visi pervaserat Urbem;
At vix spectatum plausus ad astra tulit.
Cum primùm patuit, tota Urbs confluxit, & ipso
Purpurei Proceres cum Patre Christiadum.
Sortita hunc quando patefacta recenter honorem
Ara fuit? Meruit tale sed ista decus:
Et meruit Princeps præclaræ Conditor Aræ,
Auget Patroni qui decora ampla sui.
Illius haud una tantùm solemnia luce,
Per Soles voluit sed celebrare Novem,
Qui Festum anteeunt. Decretum Roma probavit,
Quæ tota accurrit, Purpureique Patres.
At cum Sacra Dies venit, sua crimina flevit,
Seque ream dixit plurima turba virùm.
Viginti Mille, atque alios dein Mille, refecit
Convivas Daps, sub qua latet ipse Deus.
Instauranda omnes Sacra sunt hæc Dona per Annos:
Sic pia Relligio Principis instituit.
Augmentum Joseph ipso si Nomine signat,
Hoc quoque Magnanimi Principis Acta docent.

Sequitur ſpecimen Laudum, quæ petitæ ſunt a Gentilitiis plurimorum Inſignibus.

Sol Exoriens Inſigne Academiæ, quam inviſit S. R. E. Cardinalis præferens in Stemmate Aquilam, & Leonem.

Ne poſthac nobis Phœbus caput erigat undis,
Et primo lucis flore coloret humum.
Pulchrior in medio Cæli volet æquore currus,
Ardentes vibret dives Apollo faces,
Quãdo Aquila huc properans nos lumine luſtrat amico
Vicinum Phœbi cernere ſueta jubar.
Permeet ætherei Sol fervida Regna Leonis,
Ingrato quamvis frigore bruma riget.
Augebit Phœbi lucem domus alta Leonis,
Quaſque olim accepit, largior addet opes.
Nam tuus, o Princeps, noſtro Leo lumina Phœbo
Intendit, dignus fulgere in axe Leo.
Hactenus emenſus Cælum Sol noſter in undas
Corruat, Oceano mergere lætus equos:
Et curru aſtrorum Cæſar te pronus adoret,
Pierii o Princeps hoſpes Apollo chori,
Cui Rex Sylvarum Regnum portendit, & Ales
Sufficiet ſacro tela triſulca Jovi.
Vel victus, tua cum ſplendet lux, cedat Apollo,
Sol novus & gratum proferat ore diem.



Tur-

Turres, & supra illas Arbor assurgens, & duplici Corona ornatæ Aves, Insigne Hieronymi Valvasorii Pisaurensis Episcopi.

Quæ Gentilitio fulgent in Stemmate Turres,
    Imposita atque Arbor Turribus, astra petunt.
Expansis nituntur Aves ad Sydera pennis
    Fronte coronata, despiciuntque solum.
Excelsi Regnum pingunt Insignia Cordis:
    Turres, Arbor, Aves, Mens tua ad astra volant.
Illustres Proavi generoso robore pectus
    Ornarunt: Turri fortius inde viget:
Hinc sacras valido molimine flexit habenas:
    Pectoris hinc Arcem vis quatere ulla nequit.
Hinc tua non terræ radicibus Arbor inhæret,
    Fructibus at dives Sydera celsa petit.
At quos ingenii pennis tentare volatus
    Spectarunt Mentem Rostra, Lycæa, tuam!
Non quæsita unam dedit Infula sacra Coronam:
    Altera nunc superest. Purpura sacra dabit.

Canis Liliorum custos, & Aquila, Insigne Calisti Puccinelli Generalis Ordinis Servorum, & deinde Urbini Archiepiscopi.

Stemma tuas dotes, Caliste, & pingit honores,
    Virtutes Animi quos peperere tui.
Lilia solicitus vigili Canis ore tuetur:
    Sic Animi egregias ipse tueris opes:
Et, quæ Virgineis adolescunt Lilia in hortis,
    Pervigil hostili ex impete sic prohibes.

Addita sed pulchris Insignibus alma volucrum
Regina alterius signa dat Imperii.
Utque aliis Aquila insultat generosa volatu,
Sic alios vincet mox referendus honor.

Calistus.
Anagramma.
Lis Tusca.

Calistus Lis Tusca; oritur nam quœstio, an ullus
Hetruriæ majus Vir decus attulerit.

Aurea Lilia, Circinus, Rastram, & Pilę,
Insigne P. Jacobi Fabretti Generalis.

Aurea fulgenti dum Stemmate Lilia vernant,
Nobilis Ingenii surgit imago tui.
Florea te decorat Virtus, & amabilis oris
Majestas: Aurum Mens generosa refert.
Circinus, æquatum quo linea tendit in orbem,
Justiriam pingit, qua tua sceptra vigent.
Rastris molimur terram, & per vulnera matris
Vita datur plantis, fructibus arbor ovat.
Sic terrent tua Rastra reos, terrorque salutem
Progignit, vitium crescere namque vetat.
Ast Orbis, nostras dum tam bene flectis habenas,
Imperio Terrę te notat esse parem.



Spi-

Spicæ, Punica Mala, & Cruces,
Insigne P. M. Hyacinthi Granariæ Authoris
Dissertationum in Octo Beatitudines.

Quàm bene Stemma tuos pingit, Pater Optime, Mores,
Atque tuæ pingit nobile Mentis Opus!
Commoda, Delicias, Pœnas, quæ in Stemmate vivunt,
Producunt Spicæ, Punica Mala, Cruces.
Ipse Crucem contemptor Opum, contemptor honorum
Optas: das Spicas, Punica Mala aliis;
Namque cibo lactas ignaras ubere mentes,
Et recreas mitis fructibus Ingenii.
At quæ lætitiâ fœcundas Pagina Pœnas
Explicat, ex hilari & gaudia nata Cruce,
Stemmate in egregio depingitur. Aspice: campo
Arbor cæruleo regnat amata Crucis:
Et fortunatos, quos Vitæ incommoda vexant,
Esse refert Cæli Cærulus ille color.
Fracta coronantur Diademate Punica Mala,
Sydera nam laceri sunt Diadema Inopis.
Pascit, directo mucrone & pungit Arista;
Namque onerat durus divite messe labor.
Docta colorarunt ergo tot secula Mores
Si, Hyacinthe, tuos, & Sobolem ingenii,
Quantus es, auguriis quem pingunt Secula, & ample
Fatidico Gentis Stemma colore notat!



Ro-

Rosa, duo Sydera, & Fascia, Insigne Franciscæ Theresiæ Laurentiæ Margaritæ Gherardiæ Deo se in Cœnobio consecrantis.

Ut rutilum terræ Sydus Rosa fulget in hortis,
Cui tenerum haud armat spina cruenta latus.
Hinc mite ingenium patet, ac cælestis origo;
Namque Adæ peperit culpa maligna Vepres.
At Cæli flores sunt Sydera: prima choreas
Regina hæc inter ducere digna Rosa est.
En tua sunt penitus cælestia Stemmata, Virgo,
Terra suum quoque cui contulit ipsa decus.
Una Rosa est, geminum Sydus; nam dotibus ipsa
Humanis quamvis clara animos rapias,
Divinis tamen ascendis rutilantior Axem:
Cælesti hinc totum Stemma colore notas.
Cur Stellas, interque Rosas it Fascia? Forsan,
Qua in Cælum assurgis, semita lactis erit.

In eamdem, quæ, dum S. Familiæ Nomen dat, pluribus Sanctorum Nominibus insignitur.

Ignavus cum turparet sua Nomina Miles,
Magnus Alexander: desere Nomen, ait,
Aut Mores muta. Sed te, quæ Moribus omnes
Æthereos Cives, inclyta Virgo, refers,
Quilibet e proprio signari nomine poscit,
Et Sancta Superos ambitione rapis.

Ser-

Serpens amplexus Fraxinum Insigne Persii Caraccii.

Fœcundæ Serpens amplexus brachia Mali
Ubera Doctrînæ dona spopondit Adæ.
Fraxinus, ad Cælum tibi quæ pulcherrima surgit,
Fronde notat sterili Stemmata clara Domus.
Ille nefas porrexit Adæ, fraudemque vorandam
Serpens, nam dives fructibus arbor erat.
Innocuus ramos complectitur Arboris Anguis,
Quæ vidua est pomis, fronde superba viret.
Sic tibi doctrinæ tantùm quærentur honores,
Atque salutem aliis Arbor amica dabit.

Aliud.

Aurati custos vigilabat Velleris Anguis,
Dives ubi fulvas explicat Arbor opes.
Quæ generosa tibi notat Arbor Nomina Avorum,
Doctrinæ aurato vellere dives erit.
Hinc adeo custos ramos amplectitur Anguis,
Qui pingit Patriæ nobile Stemma Domus.

Aliud.

Mercurii Virgæ Coluber complexus inhæret:
Atque tua innocuo Fraxinus Angue viret.
Olli Virga dedit callem per limen utrumque,
Pascere facundo & nectare corda virûm.
Ianua soliciti tibi panditur utraque Juris:
Vincere Mercurium copia docta dabit.

An-

Angelus Tubam inflans supra tres Montes
Insigne Josephi de Angelis Medicinæ Laureâ ornati.

Sydereus Iuvenis, patrio qui in Stemmate regnat,
 Exultans triplici e colle animare Tubam,
Destinat anne tuam Famam vulgare per Orbem,
 Dum Medicæ lauri dat tibi Apollo decus?
An melior tibi supremis descendit ab hortis
 Phœbus, avita tulit quem Medicina Deum?
Num suetus Raphael artes aperire salubres
 Tecum ægris medicas vult adhibere manus?
An, velut extinctos quondam revocabit ab umbris
 Terribili intendens Angelus ore tubam:
Sic fugitivæ animæ, & jam debita membra Sepulchro
 Per te producent secula Nestorea?

Stellæ, ac Rosæ, cum Epigraphe: Ardua molitur:
Insigne Caroli Demolarii Suscepturi Lauream Juris Utriusque.

Ardua molitur Carolus, cui nobile Gentis
 Ardua fatidico Stemma colore notat.
Stella triplex animi dotes, Moresque decoros,
 Lucemque Ingenii, Judiciique refert.
Vel, quæ multiplici Doctrinæ pectus inundant
 Fonte, suisque ornant muneribus Charites.
Nam rerum Natura parens, Astræa, novemque
 Huic sua Regna, & opes explicuere Deæ.

Ille

Ille hominum Mores multorum vidit, & Urbes,
Flores Virtutum, ut ſedula, legit, apis.
Et, quæ præclaro ducunt in Stemmate vitam,
Dicitur e Pindi colle tuliſſe Roſas.
Hinc triplici Muſæ velarunt tempota fronde,
Quæ Tybrim, atq; Arnum, quæq; colunt Ligerim.
Hinc adeo haud olli decus addit Laurea Juris,
Quærit at ex illo Laurea docta decus.

Leo Gladium ore præferens
Stemma Evangeliſtæ Benvignati
Juris Laureâ coronandi.

Qui tibi fulmineus Leo nobile Stemma colorat,
Ingenii laudes exprimit ille tui.
Rex nemorum armatur gladio, gladiumque coruſcat
Ore, colorato vivit in ore furor.
Ingenioſa tuo permanant ſpicula ab ore,
Juſtitiæ & Gladium lingua diſerta vibrat.
Regnat ut in Sylvis Leo, Palladis ipſe triumphas
In Regno: ſua dat nunc tibi Sceptra Themis.
Vincula Alexander fatalia ut abſcidit enſe,
Sic Lites Gladio diruis Ingenii.
Hinc adeo tibi Sydereus, quondam Herculis hoſtis,
Aſtrææ Gladium detulit Axe Leo.

Gryphus in Stemmate Nobiliſſimi Juvenis
de Juriſprudentia diſputantis.

Dum Themidos Juvenis tutaris Jura ſeveræ,
Aſtræa, & ridens Pallas, ab axe venit:
Nunc mihi Marcellos quantumvis obiice, Mavors,
Cum docta certent, dixit, & arma toga:

Tar-

Tarpeii vincit mons Vaticanus honores,
Et decora hunc Juvenem nobiliora manent.
Hæc ſpondet vivens illuſtri in Stemmate Gryphus,
Theſauris cuſtos ſuetus adeſſe vigil.
Ingenii nunc ille tui, Morumque tuetur
Theſauros, certas queis agit excubias.
Dein ſua donabunt theſauris præmia lucem,
Cum de te quæret Purpura docta decus.

Ales, Arbor, & Stellæ in Stemmate Horatii Pallantis Philoſophiæ, & Medicinæ Doctoris.

Pallada mente refers, Cognomine Pallada: Pallas
Ingenium format, fulget in eloquio.
Palladis emenſus, Medicas & Apollinis Artes,
Ornaris frontem Laureâ Apollineâ.
Docta in te regnant Virtutum Numina: Apollo
Conſuetum in te cum Pallade fœdus init.
Ingenii pennis ad ſydera niteris: Ales
Hoc Gentilitia ex Arbore fortè notat.
Daphnidis aſt illas frondes reor: omina lauri,
Tempora quæ circùm ſerpit Apollinea.
Pallada ſed quoniam non inter ſydera Vates
Conſtituere, Polo ſydera lapſa reor,
Palladis alterius rutilant quæ Stemmate; Cælum
Scilicet hoc illis creditur eſſe novum.

Humanum Caput ſupra Montes Inſigne Iulii Theſorati Vtriuſque Iuris Laureę decus allaturi.

Theſauros pariunt Montes, quos dives Apollo
Fœcundat, ſolers ingeniumque ſoli.


Nunc,

Nunc, qui Thesauros ipso Cognomine præfert,
Huic etiam Montes nobile Stemma notant.
At quis mentis opes numeret, quis flumina linguæ
Aurea, quæ hoc sacro e Monte reclusa fluunt?
Julius his Vitam gazis donavit Apollo.
Debuit ergo illi laurus obire comas.
Humanum Caput in Tarpejo Colle sepultum,
Roma, tibi augurium si fuit Imperii,
Quid Monti superimpositum portendit Julo,
Et rutilo erectum lumine ad astra Caput?
Si latitans olim potuit præclara minari,
Majora expositum parturit, & pariet.
Ad magna ostendit, cui hæc sunt Insignia, natum.
Quæ nunc illum ambit Laurea, ludus erit.

Sydus supra Turrim Stemma sumentis Lauream Iurisprudentię.

Sublimem supra Turrim quæ Sydera regnant,
Et pingunt Generis nobile Stemma tui?
Sydus an huc fluxit Martis? nam sæpe decoro
Fulserunt Proavi Martis honore tui.
An quia corda rapis, venit Cyllenius ales?
Hujus te furti quis neget esse reum?
Castoris an Stella est? Sapientiæ ad aurea namque
Vellera qui fertur, te duce flectet iter.
Venisset Pallas, cui corda, atque ora sacrasti;
At Stellas inter non habet illa locum.
Virginis Astrææ lapsum est ex æthere sydus,
Atque tibi lances detulit illa suas.

FINIS.



ER-

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 11.	verſ. 13.	Patria	Patriæ
p. 13.	v. 13.	Caſtalis	Caſtalia
p. 21.	v. 10.	Caræ	Charæ
p. 38.	v. 25.	inuocentis	innocentis
p. 39.	v. 5.	utgent	urgent
p. 41.	v. 7.	Gieret	Cieret
p. 43.	v. 22.	uunc	nunc
p. 46.	v. 22.	vada ,	vada
p. 48.	v. 17.	que	quæ
p. 72.	v. 17.	juſſit	juſſit
p. 86.	in tit. Et alibi:	Dyſticha	Diſticha
p. 87.	v. 29.	progreſſi	progreſſi
p. 115.	in 3. tit.	frigùs	frigus
p. 127.	v. 8.	ſyſuæ	ſylvæ
p. 134.	v. 9.	Sydernm	Syderum
Ibid.	v. 17.	multipliplici	multiplici
Ibid.	v. 25.	Præfuri	Præfari
p. 137.	v. 26.	ambita	ambitu
p. 139.	v. 4.	fine	ſine
p. 160.	in 3. tit.	facrarum	ſacrarum
p. 163.	v. 4.	nubes ,	nubes
p. 168.	in 1. tit.	Prineipe	Principe
p. 169.	v. 2.	multicelor	multicolor
p. 174.	v. 6.	virum .	virûm ?
p. 175.	in 1. tit.	Carneliis	Corneliis
p. 183.	v. 8.	Aligerum	Aligerûm
p. 202.	in 3. tit.	Dei paræ	Deiparæ
p. 231.	v. 24.	qui	quî
Ibid.	v. 25.	perofo	peroſo
p. 234.	v. 7.	ſolieita	ſolicita
p. 241	in tit.	acceſſer at	acceſſerat
p. 247.	v. 26.	virum	virûm

